A AD MALUM MINIMA OCCASIO
MAGNA EST.

Pulchrè Menander: Ad pravè agendum, parva ſatis occaſio eſt. Unde & natum creditur illud adagium: Occaſione dumtaxat opus eſt pravitati.

Proprium prorſus huic propoſito exemplum eſt, quando Semei tam plenus omnis mali fuit, ut minima tantum opus eſſet occaſione, qua totum virus ſuum in alicujus caput effunderet. Itaque Deus ei obtulit Davidem, qui ex ipſius malitia è converſo majoris meriti occaſionem eliceret. Itaque in illum, gurgitem maledictorum velut ſentinam copioſiſſimè evacuavit: adeò ut propterea diceret David, Dominus præcepit ei, ut malediceret David. Hoc eſt, quia certò erat malitiam ſuam in aliquem exerciturus, permiſit potiùs Deus, ut in eum exerceret, qui inde etiam fructum ampliorem colligeret. Occaſio juſta non fuit; ſed malo ipſi præmeditato, conveniens quædam rei aptitudo.

Ita fuit illegitima, & ſiniſtrè accepta occaſio quando Aaron, & Maria ſoror ejus, Moyſen probro jactaverunt, ob uxorem ejus (ut inquit ſcriptura) Æthiopiſſam; & ideò, quæ tam petulantis audaciæ caput fuerat, in Lepram incidit, ut corporis morbo mentis vitium puniretur.

B Dictum illud Domini noſtri, cum hac quoque quadrat ſententia, quando ſuorum carnalium amicorum ad malum paratam ſemper promptitudinem arguebat. Neque enim fratres (cognati) ejus credebant in eum. Dicit ergo eis Jeſus: Tempus meum nondum advenit: Tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum. Ita nocendi cupidi, ad minimam occaſionis umbram, quam interdum, & ſibiipſi fingunt, parati ſunt lædere.

Huc ſpectat illud Fimbriæ figmentum, juſtæ occaſionis, & cauſæ prætextu in M. Scævolam excogitatum. Fimbria ſiquidem Romanus, omnium hominum audaciſſimus vulnus quodam tempore Mutio Scævolæ inflixit, volens eum trucidare, à quo tamen convaluit. Quod ut vidit Fimbria, ſe velle Scævolam in jus vocare, ait, & accuſare. Cùmque interrogaretur, in quo eſſet eum accuſaturus, (qua de cauſa ſcilicet quave occaſione id meditaretur) reſpondit ſe objecturum illi, quod nimis parcè telum in corpus ſuum recepiſset: qui tandem etiam Scævolam occidit: quia homo ſceleſtus minima tantùm occaſionis ſpecie, vel temporis aptitudine indigebat, ut facinus intentatum perpetraret.

C

OCCASIO ERRONEA.

Nemo eſt neſcius quin interdum eveniat, ut aliquid oboriatur, quod per errorem pro occaſione juſta, vel veriſimili arripitur, & tamen reverà ejus, quod putabatur, ſubeſt nihil. Ita Prætoriani milites olim, ludos in theatro ſpectantes, cùm arbitrarentur quendam ex commilitionibus, quem Auguſtus ab apparitore amoveri juſſerat (equitum enim ordinibus, ubi ille conſederat, is debebatur locus) Auguſti juſſu interfectum eſſe, coorto tumultu, parum abfuit, quin Auguſtum interimerent. Sed remedio, fuit, quod is, quem interemptum putabant, incolumis repentè comparuit.

Sic etiam Lartes Tolumnius, Vejentium Rex, cùm in teſſerarum proſpero jactu, per jocum colluſori dixiſſet, Occide: & fortè Legati Romanorum interveniſſent, Satellites ejus errore vocis impulſi interficiendo Legatos, luſum ad imperium tranſtulerunt; occaſionis ſpecie arrepta, quæ verè nulla ſubierat.

D

MALEVOLE ACCEPTA.

Ejuſmodi occaſionum exempla plurima ſunt.

Talis erat Judæ captantis opportunitatem loci, temporis, perſonarum, & rerum, ad Chriſtum tradendum, ut pacto condixerat.

Item Seniorum Babyloniorum caſtitati Suſannæ ſtruentium inſidias.

Judæorum quoque quærentium anſam occidendi Dominum ſine ſtrepitu. Quæ non ſunt verò nomine occaſiones, nec à Deo conceſſæ, nec quærendæ, neque acceptandæ, dum ſe offerunt, quia dæmonis inſtinctu ita iſtę opportunitates ſæpè adornantur, ut facilius gliſcat conceptum ſcelus, non niſi Deo tamen ita permittente.

Munera verò, & fructus ita ſumptæ occaſionis, nihil niſi magnam pariunt calamitatem. E

JUDAS à Dæmone poſſeſſus, propriiſque ſuſpenſus manibus, crepuit medius, & effuſa ſunt omnia interiora ejus.

Senes illi impuri lapidati ſunt, immortalem pro tentato flagitio referentes infamiam.

Judæi malè mulctati nota, & plaga indelebili.

GIEZI puer Elizæi avaritiæ ſatiandæ occaſionem obliquè arripiens, pro munere lepram Naaman contraxit, ita quotquot alicujus peccati occaſionem ſe nactos exiſtimarunt, ſe ipſi fefellerunt; & more piſcium, eſcam à naſſa petentes capti ſunt, & ſuo malo ſapere docti.

Sic Filius Prodigus cum ſui ſimilibus, luxurioſis ganeonibus; Epulo dives avarus cum lurconibus; Joab truculentus cum homicidis; Aman faſtuoſus, cùm ſuperbis; Phariſæi hypocritæ cum ſimulatoribus. Et qualicumque vitio obſtricti, ad quod ſpecies aliqua occaſionis eos quadam opportunitatę videtur allicere; omnes niſi filii Prodigi exemplo converſi fuerint, miſerandus manet interitus.

OCCASIONIS AD MALUM
FUGIÉNDÆ.

Occaſionem explendæ libidinis habuit Joſeph, ipſamet hera eum, quæſita opportunitate captante, ſed evitavit, F averſatus eſt, eluctatus eſt, chlamyde quoque in ipſius manibus relicta.

Occaſionem trucidandi Saulem, hoſtem jam factum, habuit non ſemel David; ſed nunquam atripiendam eſt ratus.

Occaſionem peccandi habuiſſe Suſanna dici poteſt (qualem ejuſmodi captores effingunt, & optandam exiſtimant,) quando oſtiis pomarii clauſis, ſola ab illis nefariis judicibus ad conſenſum poſtulabatur. Sed mortem elegit potiùs, quàm aſſentiri nequitiæ.

Occaſionem tali ſpecie pictam habuerunt & Apoſtoli deſerendi Chriſtum, abeundique retrò cum reliquis, præſertim quando rogabantur à Domino? Nunquid & vos vultis abire? ſed neutiquam apprehendendam exiſtimarunt: Petro nomine omnium reſpondente, Domine, ad quem ibimus; verba vitæ æternæ habes.

Ejuſmodi, & quidem ſplendidas, ac velut benè comptas ſceleris audendi, occaſiones habuerunt omnes illi Martyres, & Virgines, quibus honores, divitiæ, regales nuptiæ, regna integra quandoque oblata ſunt; ſi modo in illicitum actum G flecti ſe ſiviſſent: ſed mortem contemptis omnibus ſibi perſuaſere præferendam.

OCCASIONIS AD MALUM ARREPTÆ
PUNITIO.

Hanc poetæ non iufeſtivo commento exprimere conati, Midæ fabulam obtendentes. Ut ſiquidem avarus is erat, percommodam fovendæ, explendæque illi ingluviei occaſionem ſe nactum arbitrabatur, cùm Liberum hoſpitio excepiſſet. Pro hoſpitalitatis itaque officio, quodcumque poſtulaſſet, impetravit; ut nimirum in aurum verteretur quidquid attingeret. Quis uberiorem tali occaſione exſpectaret hoſpitii remunerationem? ſed quid accidit? Huic felici miſero & eſca, & potus, dum ſumendo contingebat, in aurum verſa, necem pro vitæ incolumitate, ac pro beatitudine miſerandum exitium erant allatura; niſi Pactoli profluvio ablutus diſcrimini ſe eripuiſſet.

Si ſtipendia peccati mors, inquit, Apoſtolus. Ita ſpecioſa illa confictæ occaſionis amœnitas, poſtcà in majorem tormenti acerbitatem, juſto Dei judicio commutatur. H Impleturque illud Poetæ:

——*nocet empta dolore voluptas.*

Illudque S. Scripturæ: Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit: tantùm date illi tormentum, & luctum.

Ita Dives Epulo in illis maximè fuit cruciatus, quæ utcumque ei optatam dederant peccandi occaſionem, quales erant divitiæ, veſtes ſplendidæ, epulæ, amici, favor hominum, & otium cum Cornucopia.

* DE OCCASIONE ARRIPIENDA, VEL
A FUGIENDA.
APOPHTHEGMATA. ETHNICORUM.

THEMISTOCLES, Antiphates adoleſcens, qui priùs Themiſtoclem amantem fugerat, ac faſtidierat, ubi vidit illum gloria celebrem potentiaque magna pollentem, ultro adiit illum blandiens, cui Themiſtocles: O adoleſcens! ſero quidem ambo, ſed tamen ſapere cœpimus. Sentiens, illum non arripuiſſe occaſionem ſeſe offerentem, ſibi verò nunc non vacare per negotia talibus affectibus indulgere. *Plut. in Græcor. apophi.*

Cùm Antigonus in arduis, ac præruptis locis planiciei imminentibus exercitum haberet, Pyrrhus poſitis circa Napham caſtris poſtridie per caduceatorem, ut in campum deſcendens Martem experiretur, provocavit. Antigonus verò reſpondit, ſuam militiam non magis armorum, quàm temporum eſſe, Pyrrho ſi illum ſuæ vitæ tædium cepiſſet, ſatis multas ad interitum vias patere. *Plut. in Pyrrho.*

Poſt calamitatem à Romanis apud Cannas, acceptam Fabius M. creatus eſt imperator, cum Claudio Marcello, viro audaci, ſemperque geſtienti cum Annibale confligere. Fabius B potius ſperabat futurum, ut ſi pugna abſtineret, Annibalis exercitus ductu temporis deficeret. Id ſentiens Annibal dixit ſe magis formidare Fabium à pugna quieſcentem, quàm Marcellum pugnantem. *Plut. in Rom. apoph.*

C. DOMITIUS, ubi contemplatus eſſet hoſtium phalangem, exercitus præfectis hortantibus, ut confeſtim aggrederetur, negavit tempus ſufficere ad hoc: ut tot militibus trucidatis, ac direptis impedimentis in caſtra reverſi, ſua curarent corpora. Sed hoc ipſum poſtridie ſe tempeſtive facturum dixit: Ac poſtero die congreſſus, quinquaginta millia trucidavit. Vir ſtrenuus non dubitavit de victoria, ſpatium modo temporis gerendæ rei par eligebat. *Plut. in apophi.*

SCIPIO Africanus, cum hoſte dicebat non eſſe confligendum, niſi aut invitaret occaſio, aut urgeret neceſſitas: quòd incogitantis ſit, opportunitatem oblatam negligere, & extremæ ignaviæ ſit, tum non præſtare fortem animum, cùm audacia ſpem præbet incolumitatis, formidoloſitas nihil aliud quàm certum promittit exitum. *Plut. in vita ejus. Val. Max. lib. 7. cap. 2.*

SCIPIO Minor, cùm videret hoſtes deſpondere animum, ajebat ſeſe; ut tuto veniret, mora temporis emiſſe, addens Bonum C decem perinde ut medicum non niſi in extremò curatione ferrum adhibere. Nihilominus per occaſionem adortus Numantinos, terga illos dare compulit. *Plut. in Rom. Apopth.*

C. MARIUS, in bello civili, cùm foſſa cinctus obſideretur ab hoſtibus, continuit ſeſe, tempus expectans opportunum. Popedio autem Siloni dicenti: Si magnus es imperator, ò Mari deſcende in conflictum. Immò tu, inquit, ſi magnus Imperator, coge me nolentem ad certamen venire. *Plut. in Apoph.*

CHRISTIANORUM.

Ex Apophtegm. Laurentii Beyerlinck.

Veluti temporibus medicina valet, ita ſuo quæque tempore rapienda eſt quidvis faciendi Occaſio. Refert de quodam Eremi incola *Caſſianus*, quòd in tantùm boni operis Occaſionem captaverit, ut nunquam eam præterire fuerit paſſus. Quare cùm è patria litterarum faſciculum accepiſſet, ne aperire quidem eum dignatus; at igne ſuſcitato, univerſum (ut erat) in illum conjecit, dicens: Ita cogitationes patriæ, pariter con- D cremamini: nec me ulterius, ad ea quæ fugi, revocare tentetis. *Caſſ. Monaſt. inſt. lib. 5. cap. 32.*

Non minùs ſapienter egregius Antiſtes Vvigornienſis Vvolſtanus, cuidam frequenter eadem peccata confitenti, dixiſſe fertur: Opportunitas, ut video, latrones facit: ideò ut vitiorum importunitate careas, id unum neceſſarium, Religioni, dum potes, te dedas. *Sur. Tom. 1. in vita.*

Monachus Ægyptius. ☞ *Require apophi. de* IRA.

Prudens etiam Religioſi verbum fuit cujuſdam. Cum namque indomitæ carnis ſtimulos, jejunii, & mortificationis cote attereret, rogatus, quam ob cauſam ſe tam graviter affligeret; Ut, inquit, exſurgentes libidinum aculeos ſuperem, & cum iis furoris occaſionem tollam, novi enim furorem ſemper pro libidine litigare. Pulchre *Greg.* More ignis libido ſuccenditur, & ſi negligenter extinguitur, adiacens ſtipula velociter inflammatur. *Socrat. Trip. hiſt. lib. 8. c. 1.*

Concertantibus nonnullis quænam res majorem adferret moleſtiam; cùm hic litem forenſem, ille moroſam conjugem diceret, intervenit alius, qui, allud ego, inquit, ubique moleſtum reputo, quòd tempeſtivè, & in loco factum non fuerit. E Ita olim è Græcis Comicis *Menander*:

Omnia tempeſtivè gratiam habent,
Ἅπαντα καιρῷ χάριν ἔχει ζυγώμενα,

Guil Richterus *in Axiom. Polit.*

Oculus.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

OCULUS, ὄμμα ὀφθαλμὸς, & ὀφθαλμία, oculorum morbus dicitur, Oculi dicuntur, quia ſuperciliorum tegminibus occuluntur, *ſecundùm Varronem* Hebr., *Hain*, Oculus, verbo *Hajan*, aſpexit, direxit oculum aliquid intuendo. Poetis Theæ filii dicuntur. Etiam Hebræis *Ooghen* in uſu eſt, id eſt, altum, quaſi nos moneant originis noſtræ, & ob id datos, ut cęleſtia contemplemur.

* OCULI NATURA.

Non defuerunt Phyſici, qui oculos exiſtimarunt naturæ eſſe igneæ, ut *Empedocles*, & *Timæus*, *Ariſtoteles* tamen affir- F mat eſſe naturæ aqueæ *lib. de ſenſu, & ſenſib. cap. 2.* Et id rectè, dominatur namque in eis frigidum, & humidum, utpotè qui coaleſcunt ex membranis, adipe, & humoribus, quæ omnia frigida ſunt.

* PRÆSTANTIA.

Aſpectus omnium ſenſuum præſtantiſſimus habetur.

Primo, quia tenuioribus, & à materiæ fęce liberioribus, ac non niſi per diaphanum illuſtratum tranſmiſſis imaginibus ad functiones ſuas utitur, nullamve realem immutationem ab objecto recipit, ſed tantùm notionalem, nec enim v.g. exalbeſcit viſo candore.

Secundò, quia ejus actio celerrima eſt, utpotè quæ momento fiat.

Tertiò, quia è longiori tractu res attingit.

Quartò, quia (ut cæteras ejus prærogativas omittamus) plures rerum differentias comprehendit; quandoquidem viſu totius mundi fabricam, & ornatum intuemur, lucis pulcbritudine fruimur, colorum varietatem diſtinguimus, corporum omnium magnitudinem, figuram, numerum, proportionem, ſitum, motum, & quietem aſſequimur. Ideòque nullus ſenſus ad cognitionem inventione propria comparandam magis idoneus eſt. G

Unde *Plato in Timæo* viſui acceptam refert Philoſophiam; &, ejus imitator *Philo Judæus in lib. de ſpecialibus legib.* Defluxit, inquit, Philoſophia è celo in hominum animos, ſed Oculis ſequeſtris deducta eſt in hoſpitium. Nam hi primi conſpexerunt vias, quæ à cœlo ad nos tendunt, regias. *Item in lib. de mundi opificio*: Quòd, inquit, mens in animo eſt, id oculus in corpore. Videt enim uterque, altera intelligibiles res, alter ſenſibiles. Viſus autem mentis ad noſcenda incorporea; oculi ad contemplationem corporum, quæ res ad alia multa prodeſt, & in primis ad id, quod maximum eſt, ſcilicet Philoſophiam. Multa de oculorum ſitu, & præſtantia ſcripſit in ſuo *tract. de Viſus nobilitate Laur. Ferrier.* Medicus. Regis Chriſtianiſſimi.

* SITUS.

Quòd verò ad oculorum ſitum attinet; libet, quæ *D. Ambr. lib. 6. Hexamer. c. 9.* ea de re ſcripſit in hunc locum transferre. H Adhærent velut quibuſdam montium ſuperciliis oculi, ut & protegente montis cacumine tutiores, & tanquam in ſummo locati, de quadam ſcena ſuperiore univerſa proſpectent. Neque enim oportebat eos humiles eſſe, ſicut aures, vel os, ipſoſque narium interiores ſinus. Specula enim ſemper in alto eſt, ut advenientium catervarum hoſtilium explorari poſſit adventus, ne improviſo occupent otiantem, vel urbis populum, vel imperatoris exercitum. Sic latronum quoque caventur incurſus, ſi exploratores in muris, aut turribus, aut montis excelſi ſupercilio ſint locati, ut deſuper ſpectent plana regionum, in quibus inſidiæ latronum latere non poſſint. In mari quoque poſitus, ſi quis terræ appropinquare ſe conjicit, in ipſa mali faſtigia, & celſa antennarum cornua voti explorator aſcendit, & adhuc inviſibilem reliquis navigantibus eminus terram ſalutat.

At fortè dicas, ſi ſpecula editior neceſſaria fuit, cur non ſupra ſummum verticem capitis oculi conſtituti ſunt, ſicut

Cancris, vel ſcarabæis in ſummo ſunt, quibus licèt nullum
A caput appareat, colla, ac dorſa tamen cætero corpore celſioſunt; ſed illis teſta valida, nec tam tenuis membrana ſicut nobis, quæ facilè poſſit offendi, ruboque, & cæteris interſcindi ſentibus.

Itaque nobis in ſumma propomodum corporis parte conſtitui oculos oportuit tanquam in arce, & ab omni, vel minima offenſione defendi, quæ duo ſibi compugnantia videbantur. Nam ſi in humili eſſent, propter tutamen impediretur munus; ſi in vertice, paterent ad injuriam. *Hæc D. Ambroſius, Lege etiam D. Baſilium hom.* 11. *Hexæmeron.*

* Munimentum.

Sanè verò mirificè natura providit, ut oculi tuti eſſe poſſent, utque ea, quæ foris ingruunt, incommoda propulſarent ideòque concavis foraminibus incluſit; & genis, ac palpebrarum tegmine circumvallavit (etſi has Struthio camelus
B alitum ſola, ut Homo utrinque habeat,) quæ identidem celeritate magna non ſolum excipiendis rerum imaginibus aditum aperiant, ſed etiam incidentibus, & noxiis claudant: tum ſupercilia quæque addit pilis brevibus adornata pariter, & alternè mobilia, quæ ſudorem à capite, & fronte defluentem repellant.

Sed enim & hæc, ut *Plin.* 11. *naturalis hiſt. lib. c.* 37. advertit, maximè faſtum indicant. Superbia alicubi conceptaculum, hic ſedem habet. In corde naſcitur, hic ſubit, hic pendet. Nihil altius ſimul, abruptiuſque invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet. Hæc ille.

* Figura.

De oculorum autem figura ſic habeto.

Sunt oculi in globum conformati duabus potiſſimùm de cauſis.

Primùm, quia forma globoſa promptiori agilitate in hanc, & illam partem volvitur, & aſpectum circumfert: voluit autem naturæ auctor Deus aſpectum circumferri, ut inquit Ti-
C mæus, circuitus, qui in cœlo aguntur, in uſum redigamus noſtræ mentis, diſcurſioneſque ipſius illis cognatas, ſed perturbatas ad illorum temperiem revocemus, & converſiones Dei, quæ ſine ullo errore aguntur, imitemur.

Deinde, quia ut Mathematici demonſtrant, niſi oculi eſſent rotundi, non poſſent rerum quantitatem deprehendere, nec aliquod perciperent, niſi æquale ſibi. Etenim viſio fit per lineas rectas ſuper oculum perpendiculariter incidentes, quarum concurſus fit in oculi centro. Quare ſi oculus eſſet ſuperficiei planæ, non ingererent ſe perpendiculares lineæ, niſi à ſuperficie æquali; ſicque non niſi æquale cerneretur.

* Fabrica Interior.

Conſtant oculi, quod ad præſentem conſiderationem attinet, ſeptem muſculis motoribus tunicis quinque, etſi alii hæc ſecus numerent: tribus humoribus duobus nervis.

Muſculi dati à natura ſunt, ut globum ad ſpectum facilè convertant; è quibus unus ſurſum, alter deorſum: duobus
D ad dexteram, levamque trahunt, alii duo circumferunt; ſeptimus ſuſtinet, illigatque.

Ex tunicis intima vocatur ſpecularis, quia ut ſpeculum nitet, & translucet, Græcè à continua araneæ telarum imagini ἀραχνοειδὸς.

Huic proxima Græcè ἀμφιβληστροειδὴς, Latinè Reticularis nuncupatur, quia venulis multis, & arteriis intexta retis effigiem exhibet.

Tertia Græcè ῥαγοειδὴς, Latinè Vvea, quia ſimilis eſt uvæ folliculo, à quo pedunculum extraxeris.

Quarta Græcè κερατοειδὴς, Latine Cornea, quia cornu in laminas tenuiſſimas inſectum refert, & ſplendida, ac diaphana eſt.

Quinta Græcè ἐπιπεφυκὼς, Latinè Adnata, ſive adhæreſcens, quia ejus beneficio undique totus oculus conſiſtit; & ſibi cohæret, quæ etiam alba à colore nuncupatur.

Ex humoribus intimus dicitur à Græcis κρυσταλλοειδὴς, à Latinis Cryſtallinus, ſeu glacialis, quòd cryſtallum, ſeu glaciem pelluciditate æmuletur, etſi aliquantulum mollis ſit.

Huic proximus Græcè ὑαλοειδὴς, Latinè Vitreus, ſeu albugineus, quòd conſiſtentia, & colore vitro fuſo, ſive recocto, vel ovi albo ſit ſimilis.

Tertius Græcè ὑδατοειδὴς, Latinè Aqueus, ab aquæ ſimilitudine. E

Horum verò compoſitio hunc ordinem inter ſe habere deprehenditur. Eſt oculus, uti dictum eſt, in globi figuram conformatus. Ejus centrum obtinet humor cryſtallinus, quem undique ambit tunica ſpecularis. Hujus humoris medietas in humorem vitreum, qui proximè ſequitur, immerſa eſt; altera in eo extat, & quaſi innatat. Deindè humorem vitreum poſteriori parte ambit tunica reticularis, deſinens ubi glacialis humor eminere incipit ſupra vitreum. Hinc duæ ſe offerunt membranæ, nempe uvea, per cujus foramen humor cryſtallinus, & pupilla cernitur; & à colore hujus tunicæ, quæ variè intingitur, oculos nigros, cæſios, glaucos, aut alio colore imbutos dicimus. Altera tunica eſt cornea, quæ totum oculum ambit, ſplendida eſt. Inter haſce duas tunicas humor aqueus continetur: tum poſtremum, atque eximium locum habet tunica adhærens, quæ oculum in propria ſede cohibet, ducens originem à tunica calvariam inveſtiente, unde & pericranium nuncupatur. F

Concurrunt etiam ad oculi ſtructuram duo nervi, qui Optici, ſeu viſorii appellantur: Hi verò à cerebro proficiſcuntur, alter è dextera parte, alter è ſiniſtra: ſed aliquantulum progreſſi inter ſe coeunt, rurſumque antequam oculos ſubintrent, ſeparantur & quia duplici membrana veſtiti ſunt; interna tenui, & externa dura, ex illis ortum habent duæ tunicæ, uvea, & cornea; Per eos ſimulachra rerum, quæ ſub aſpectum cadunt, in communem ſenſum influunt, ſimulque per eoſdem à cerebro emicant viſorii ſpiritus, ſine quorum ope facultas cernendi munus ſuum obire nequeat.

Numerus.

Oculi gemini tam hominibus, quàm beſtiis dati ſunt.

Communis cauſa eſt, cur & geminæ aures, &c. Videlicet, ut altera ſenſitorii parte amiſſa, altera ſuperſit incolumis.

Sed in oculis peculiarem eſſe rationem ait *Galenus libro de Uſu partium*; ut, quia tantam ea vident, quæ ipſis per lineam rectam opponuntur, facili circumactu videre poſſint omnia. G

Quòd autem de Cyclopibus unum tantummodo oculum in media fronte habentibus quidam ſcripſere, fabula eſt; cujus reconditum ſenſum explicat *interpres Heſiodi in Theogonia*.

Fabula item, eſſe Æthiopes, qui ternos aut, quaternos oculos gerebant in pectore. De quibus *Plinius lib.* 5. *cap.* 8. *& lib.* 6. *cap.* 30. *& lib.* 7. *cap.* 2. *Et Strabo lib.* 1. *& item lib.* 7. *Et Aul. Gell. lib.* 9. *cap.* 4. *Quin etiam D. Anſelmus lib.* 1. *de imagine mundi cap.* 10. *& D. Auguſtin. in opere ſermonum ad fratres ſerm.* 37. *& alibi, id eſt, lib.* 16. *de civit. Dei cap.* 8. Hoc refellit tanquam fabuloſum. Adde, quòd opus illud ſermonum ad Fratres, non eſt authenticum genuinum D. Auguſtini ut vulgò creditur.

OCULORUM INDICIA. H

Quemadmodum cauda leonibus, aures, & nares equis, animorum indicia præſtant: ſic oculis hominum mentis imago apparet. Etenim ex his virtutes vitiaque agnoſcimus; iratum vel propitium animum, lætum aut affectum perpendimus; dignitatemque oris oculi exhibere conſueverunt, vitamque à morte diſtinxerunt.

De qua re prolixè, & eruditè diſputat *Levin. Lemnius*, ubi quoque dicit: Medicos in morbis ſtudioſè oculorum conſtitutiones contemplari. Si enim rubore profuſi ſunt, aut ſanguineis glamentis ſtriati, ex cerebri inflammatione furorem, ac phreneſim indicant. Quod ſi liveſcant, aut plumbeo, nigroque colore perfuſi ſint, caloris nativi extinctionem, vitæque interitum denunciant. Inſtabiles autem pernictantes, nobiles: inquieti, inconſtantes mentis alienationem, & delirium deſignant. Languidi, humentes, flaccidi, lachymis perfuſi, tenebroſi, tremuli, rigidi, vibrantes, tumidi, cavi, conditi, obtuſi, conniventes, præter diverſos animi affectus, in ſanis tum in ægrotis non ſine vitæ pernicie, cerebri intemperiem, ex humorum copia, vel defectu, caliditate,
A aut frigiditate commonſtrant.

Luſci vero, pœti, ſtrabones, & qui obliquo ſidere, limiſque, oculis obtuentur, præter contortos atque in diverſum convulſos muſculos, hujus naturæ errorem conſecuti ſunt. Quòd vitium quoniam circa cerebrum mentis Domicilium, vel potius regiam, conſiſtit, ut foris nonnihil oculos deformat; ita animum quoque quibuſdam vitioſis affectibus imbuit, &c.

Sic de oculis habemus egregium exemplum apud *Livium* Memoriæ enim tradidit, quòd oculi Romanorum viſi ſint ardere in prælio Samnitum.

Et Aquilejenſes milites, qui ſubitò eruptione ex occulto cuniculo facto Attilam paucis comitatum invaſerant (quem tamen non noverant) poſteà faſſi ſunt ſe nulla re magis perterrefactos fuiſſe; quam quòd in ejus oculis ſcintillas veluti igneas, cùm pugnans eos fremebundus aſpiceret, emicantes conſpexerint, ſicut, *P. Callimachus*, & *Nicolaus Olaus* ſcribit.

Non fruſtra igitur *Cornelius Tacitus* dicit: Primi in omnibus præliis Oculi vincuntur.

Sic in hiſtoriis legimus, C. Marium à Miturnenſibus percuſſorem immiſſum vultus auctoritate deterruiſſe, ob eamque rem incolumem dimiſſum, ut *Plinius* teſta-
B tur.

Huc referri poteſt, quod *Ariſtoteles*, & *Adamantius* Phyſiognomici obſervarunt. Eos videlicet, quibus ſubſanguineos oculos natura attribuit, eſſe inverecundos, &, audaces: iracundos quibus ſiccos: ebrioſitatem humidos oculos denotare, ſubrubeſcentes ſi latè pateant, intemperantis oris hominem, mulieroſum, ſtolidum & aleonem. Si glauci, ſanguineique fuerint, hinc calliditatem, inde veſaniæ proximiorem audaciam coarguent.

Hinc etiam apud *Homerum* Achilles caninos oculos ob impudentiam obiicit Agamennoni; quod canes plurimum oculis ſanguine ſuffuſis conſpiciantur.

Dipnoſophi quoque apud *Athenæum*, homini omnifarios eſſe oculos, & in illis morum, ingeniique certa indicia; Quibus enim, inquiunt, hominibus caprini ſunt oculi, iis acutum natura viſum eſſe, moreſque probiſſimos: Hominum verò aliis oculos extrorſum prominere, aliis introrſum condi, aliis verò medio ſitu collocari, & hos perſpicaciſſimos eſſe, lenique, ac ſedato ingegio: peſſimos quoſque quibus exeruntur: quoſdam nictare frequenter, impudentiamque id arguere, ut levitatem, ac inconſtantiam, oculos rigidos, ac intentos; me-
C diocres autem mores optimos polliceri. Rectèque *Cicero*: Animi, inquit, eſt omnis actio, & imago animi vultus eſt, indices oculi. Nam hæc eſt unà pars corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes, & commutationes poſſit efficere.

Quòd etiam medicorum ille princeps Hippocrates obſervavit, ubi dicit: Oculi ut valent, ita & totum corpus.

* Hieroglyphica.

Ægyptii, qui apud Gentiles pro ſapientiſſimis habiti ſunt, *Deum* in ſuis Hieroglyphicis, per figuram *Oculi* commoſtrabant, ſicut *Pierus Valerius* diligenter obſervavit *lib.* 33. *cap.* 5. & Deum Optim. Max. mundi oculum, patrem luminum à Jacobo nuncupatum, omnia formoſitate tranſcendere, omniaque gubernare, atque ut ait Apoſtolus, nihil eum latere, cujus oculis omnia nuda, & aperta ſint, atque ita bonos,
D & malos ſpeculetur: ut quemadmodum quæ pro facie ſunt homo videt, ita quæ deliteſcunt in imò corde proſpiciat Deus, & perſcrutetur.

Aſſerunt autem inter alias rationes & hanc, cur ex humanis membris oculum pro Dei ſigno deſumpſerint. Quia oculus humanus miſtura ſuæ materiæ aliquid lucis poſſideat: quod in nonnullis tam efficaciter exploratum eſt, ut puer medias noctis tenebras, oculis repentè patefactis, clarè cernat; id quòd præcipuè Tiberio Imperatori contigiſſe prædicant.

Et ætate noſtra (peregit Pierius) M. Antonium Sabellicum, dum apud nos Græcè diſceret, de ſe affirmantem audivi, quotieſcunque noctu excitaretur, aliquamdiù & libros, & inſtrumentum cubiculi univerſum liquidiſſimè diſcernere ſolitum.

Sic & Joſephus *Scaliger. in vita* Patris, *ſui* de ſe, & illo ſcribit, quod oculis cæruleis interdum etiam noctu viderint, ut in E crepuſculo ſolemus: idque ſibi contigiſſe à pueritia ad viceſimum tertium annum.

Secundùm Diodorum *Siculum in Hieroglyphicis*, oculus ſignificat ſervatorem juſtitiæ, adeò ut ubicunque inveniatur ſceptrum cum oculo, adjunctis aliis ſceptris legendum ſit: Ego ſum Oſiris Jupiter juſtus, qui univerſo orbi imperavi.

Sed rectiùs ex *Pſalm.* 2. interpretatio hujus rei ſumi ſolet quem ita nonnemo tranſtulit:

Providius ut juſto, quæ fiunt omnia, vultu
Ceu ſpecula celſa luſtrat ab arce Deus.
Sic hominum mentes oculis vigilantibus intrans,
Quæ tegit arcano pectore, quiſque probat.

OCULORUM AFFECTUS.

UTROQUE OCULO PRIVATI.

☞ *Conſule Tit. Gæcorum. Illic actionis læſæ, hic inſtrumenti ablati ratio habetur.*

Ludovicus Boſonis Filius, Burgundiæ Rex, cùm in Italiam adversùs Berengarium II. Imperatorem deſcendiſſet, ab eo F prælio ſuperatus, ac victus, captuſque, ut inſigne Berengarii humanitatis teſtimonium extaret, liberatus eſt: jurejurando promittens, ſe Berengario vivo in Italiam ampliùs non rediturum. Sed cùm ipſe pro accepto beneficio ingratus, haud multò poſt, cùm ingentibus copiis Italiam repeteret, propè Veronam captus, quia ſe ipſe fide privarat, oculis à victore erutis, lumine quoque privatus eſt. *Fulgoſ. l.* 9. *c.* 6.

Albericus Marſorum Epiſcopus, ab Othone Magno Imperatore jus Monaſteriis S. Angeli de Barregio, quoad viveret, impetravit; quo defuncto ad Caſſinenſes, ut rediret, inter ipſos convenerant. Cæterùm Albericus filio ſuo Caſſinenſe monaſterium, ut impetraret, cum Capuanis egit, ut Abbatem Caſſinenſem oculis privent, promiſſa ingenti pecuniæ ſumma Ergo Abbatem in urbem juris dicundi cauſa invitant, interpoſito juramento ſalvum, & incolumem ſe ipſum ad ſancti Benedicti monaſterium perducturos. Abbas Capuam veniens, in monaſterio ſancti Benedicti, quod Capuæ erat, introducitur, ibique vinculis injectis, oculis privatus. Quos linteolo involutos per legatos ad Albericum ferri curarunt Capuam. *Chronicon Caſſinenſe lib. ſecundo cap.* 4.

Johan Zisca Huſſitarum Dux, graviter ferens arcem Rabii, quam nuper occupaverat, ab adverſariis eſſe occupatam; G caſtris è regione arcis collocatis: ad arborem pyrum ſubſtitit, ut militum operam ſpecularetur, qui ex arce telorum multitudine repugnabant. Unus illorum bombarda pyrum illam adeò concuſſit, ut fruſtillatim diſſiliret, & fragmine minuto alter Ziſcæ oculus, quem reliquum habebat excuteretur. *Dubr. lib.* 26.

ALTERO OCULO PRIVATI.

MONOCULI. COCLITES.

Lusci.

ACQUISITIO.

☞ *Hic membrum tanquam organum vel ablatum, vel corruptum conſideramus. Paulo poſt de facultatis viſivæ læſione acturi.*

H

Iſraelitis dexter oculus effoſſus fuit, à Rege Ammonitarum Naa, ne ſagittas & jacula collineare poſſent. 1. *Reg.* 21.

Candace Æthiopum Regina, altero capta oculo fuiſſe dicitur. *Volaterran. lib.* 18. *Anthrop.*

Philippus Macedonum Rex in expugnatione Methonis Magneſiæ urbis, ab Aſtere milite ſagitta percuſſus, dextrum amiſit oculum. Unde & Ariſtides ipſum hoc ſcommate ridebat. Arimaſpis cognatus es. Ariſmaſpi enim populi ſunt monoculi. *Plinius lib.* 7. *c.* 37. *& Juſtinus. Plutarchus* verò inquit, quoſdam ſcribere. Philippum cum per rimam oſtii uxorem vidiſſet, cum Dracone concumbentem, eum oculum ob Deum conſpectum amiſiſſe.

Antigonus Rex Macedoniæ potentiſſimus, in oculi ſui

Cladem ludere ſolebat. Allato namque inſtrumento præ- A grandibus ſcripto litteris, ταυτὶ μὲν καὶ τυφλῷ δῆλα, id eſt, hæc quidem vel cæco perſpicua ſunt, inquit, *Plut. in Sympoſiacis*. Sed idem Theocritum Chium, cui etiam jurejurando interpoſito paſſurus fuerat, occidit, propter ſcόma intempeſtivum. Cùm enim ad Antigonum raperetur, ſolantibus eum amicis, ac ſpem pollicentibus, quòd omninò clementiam regis experturus eſſet, ſimulatque ad ejus oculos perveniſſet, reſpondit: Ergo impoſſibilem mihi dicitis ſpem ſalutis, *Macrob. lib.7. cap.3. & Plut. lib.2. conviv. q.1.*

Hermippus Athenienſis, poeta inſignis, & frater Myrtili altero captus oculo. *Suidas*.

Lycurgo Lacedæmonio, ſeditione ob mutatam Rempublicam orta lapidibus impetito, Alcabder juvenis in jurgio oculum reſpicienti baculo excuſſit, quam injuriam non modò non iniquè tulit, verùm etiam adoleſcentem ad ſupplicium petractum domi ſuæ perhumanè, & ſapienter inſtituit. *Plut. in Laconicis, & Lycurgo. Stob. ſerm.17.*

Timon Nicæus in quendam omnia mirantem ita luſit: Quin & illud miraris, quod cùm tres ſimus, quatuor habemus oculos? Timon enim luſcus erat, unde & Cyclops dictus eſt: & diſcipulum habebat luſcum Dioſcoridem. *Socra-* B *tes apud Platonem. Laert. lib.9. c.12.*

Antigenes Philippi F. Philippi Macedonis, poſt etiam Alexandri miles, juvenis etiamnum, cùm Philippus Perinthum obſideret, intorto ex catapulta in oculum ſuum telo, non priùs pugnam remiſit, quam pepuliſſet intra murum hoſtes. *Plut. in Alex. & Diod. lib.17.*

Dyoceus claudus, & luſcus, omnique ex parte corporis deformis deſcribitur à Juſtino *lib.3.*

Horatiorum antiquiſſimus Cocles, id cognomentum aſſecutus, quod in prælio oculum amiſerit. Ex quo *Plautus* Servum, qui altero captus erat oculo, nobilem, ac de Coclitum familia appellavit. *Plut. in Popl. Val. Max. lib.3. cap.2. & Livius.*

Victis ad Trebiam Romanis, Annibal ſuperatis montis Apennini jugis, per Ligures ea via, qua ad paludes, ac planitiem fluminis Arni eſt iter, in Hetruriam deſcendit. Arnus vehementer excreverat per eos dies, atque circumadiacentes campos aquis inundaverat. Itaque ingens hominum, ac jumentorum jactura facta. Ipſe dux, etſi elephanto, qui unus ſuperfuerat ex multis, ſublimis veheretur, plures tamen dies, ad noctes aeris intemperie vigiliiſque confectus, alterum amiſit oculum. *Auctor ejus* C *vitæ, & Livius.*

Q. Sertorius in pugna alterum oculum amiſit, eaque orbitate tanquam perpetuo fortitudinis teſtimonio, quod ſecum aſſiduè circumgeſtaret, gloriari ſolebat. *Plut. in ejus vita.*

Marius Rom. exul, à Sertorio ex Hiſpania in ſubſidium Mithridati miſſus, altero oculo captus, ad Granicum captus eſt. Edixerat autem ante certamen Lucullus militibus, ne quem luſcum interficerent, quo probris, & contumelis vexatus necaretur. *Plut. in Lucullo.*

Servi ſui oculum ſtylo excuſſerat Imp. Hadrianus, factique pœnitens poteſtatem dedit ſervo quodcunque munus pro ea jactura petendi. Tacebat miſer ille. Tandem inſtanti vehementius Hadriano reſpondit, Nihil ſe aliud petere: optare verò oculum, quem amiſiſſet, cui nec Midæ opes conferri poſſent. *Galen. de Cognoſc. animi morbis.*

De Philænide, *Martialis Epigram. lib.12.*

Quàm ſit luſca Philænis indecenter,
Vis dicam breviter tibi, Fabulle?
Eſſet cæca decentior Philænis.

D Et rurſus de Eadem *lib.4.*

Oculo Philænis ſemper altero plorat.
Quo fiat iſtud quæritis modo? luſca eſt.

In Læliam, *Martialis Epigram. lib.12.*

Dentibus atque comis, nec te pudet, uteris emptis:
Quid facies oculo, Lælia? non emitur.

Acacius orator, ſocius Libanii ſophiſtæ, unico tantùm vidit oculo, Unde μονόφθαλμον vocabant. *Volater. lib.13. cap.3. Ant.*

Alberto I. Imper. Conradus Saleburgenſis Epiſcopus hoſti venenum propinari curavit. Medici regem in caput inverterunt, machina ad hoc ingenium fabrefacta, ut continuò vomeret, non tamen ſuffocaretur; excluſum eſt itaque venenum per os, per nares, per oculos: viſque ejus tanta fuit, ut alterum ei oculum corrumperet. Unde Monoculus rex dictus eſt. *Cuſp.* At Stomphius Albertum veneno potionatum, conſilio Medicorum oculum ſibi exſculpi curaſſe, ſcribit, ut per E vulnus venenum evacuaretur.

Edelfredus Saxo Northumbriæ Rex in pugna contra Ainum Scotorum regem oculum amiſit. *H. Boethius lib.9.*

Suatoplucus Bohemorum princeps contra Ungaros Moraviam populantes movens, dum noctu ſaltum tranſit, ut prima luce improviſus Hungaris ſuperveniret, ramus arboris à præcedente equite laxatus, lævum Suatopluco excuſſit oculum. *Dubravius lib.10.*

Venceslaus III. Bohemorum rex, dum inter venandum parum cautus in ramum obvium impingit, alterumque amittit oculum, monoculus deinceps pro Othogaro nuncupatus fuit. *Dubravius. lib.16.*

Bello Pruſſico, quod fratres Teutonici contra Boruſſos, qui ſe Polono dediderant, geſſere circa ann. ſal. 1458. Commendator de Elbingen, multis ſtratagematibus hoſtes fefellit, & ſuperavit: vir luſcus, ſed qui unius oculi jacturam pectoris providentia compenſaret. *Crantzius lib.12. Vandal. c.23.*

Joannes II. Vvagriæ Comes in Holſatia, qui Erici regis Danorum viduam duxerat, ſedebat ad menſam in arce Klonis inter joca plurima morio quidam exaſperatus ab adoleſcentibus, qui de more ſerviunt nobilitati, oſſe projecto, comitem altero lumine exoculavit. *Crantz. lib.8. Sax. c.40.* F

Federicus Urbinas altero oculo capius, tam æquo animo cæcitatem tulit, ut in ſeipſum interdum jocatus ſit. *Pont. lib.2. cap.8. Demoſt. fort.*

Petrus Abbas Claravallenſis gravi valetudine vexatus, oculum amiſit, & ſe gaudere dixit, quòd è duobus inimicis alterius moleſtia jam liber eſſet. *Marul. lib.5. cap.4. & Sabell. lib.5. cap.7.*

☞ *Pete nonnulla ex Loco de Cæcitate.*

Curatio.

Philippus Amyntæ, Macedonum Rex, in oppugnatione Methones urbis Magnaſiæ, alterum oculum ſagittæ ictu amiſit. Critobulus medicus ejus vulneris curatione magnam eſt famam adeptus, quòd extracta ex regis oculo ſagitta, citrà oris deformitatem, curaſſet luminis orbitatem. *Sal. l.3. En.4.*

VULNERA OCULORUM.

Gal.1. de Sympt. cauſis 1. Pueri meminit, cui cum ſtylo pupillæ locus eſſet punctus, aquoſus humor profluxit, & pupilla G minor eſt reddita, tum tota cornea apparuit rugoſior. Cæterùm ſanatus poſteà rectè vidit, magna omnium cum admiratione, collecto ſcilicet paulatim in eo, qui effluxerat, humore,

OPHTHALMICI, Lippi. Lippitudinis

Acquiſitio.

Lia Laban F. Jacob patriarchæ prima uxor, oculis lippa. *Gen.29.*

Ex trecentis Lacedæmoniis ad Thermopylas duo, Euritus, & Ariſtodemus feruntur ob extremam lippitudinem è caſtris ab Leonida Rege remiſſi, & in Alpenis decubuiſſe. At communicato inter ſe conſilio, cùm liceret aut ſalutem ſibi parare, aut unà cùm aliis occumbere, cùm inter ſe diſcreparent, Ariſtodemus quidem præ ignavia remanſit, Eurytus verò audita Perſarum per montem circuitione, petiit arma, & duce ſervo ad pugnantes deductus, dato in Perſas impetu, occubuit. Ariſtodemus Lacedæmonem reverſus, probro, & ignominia notatus eſt: probro, quòd eum nemo neque igni, neque alloquio impertivit: ignominia, quòd Ariſtodemus H fugax appellatus eſt. Verùm poſteà hic omnem ſibi objectam culpam, in pugna apud Platæas geſta, delevit. *Herod. lib.7.*

Dionysius junior, Syracuſanorum tyrannus, ex perpetua crapula lippus factus. *Theopom. lib.40. Hiſt.*

Ut auctor eſt *Livius de bello Maced.* cùm Phaneas legatus Philippum Macedoniæ regem violentius in Ætolos dicentem interfatus dixiſſet: Rem in verbis non verti, aut bello vincendum, aut parendum melioribus: Philippus reſpondit: Apparet id quidem etiam cęco: jocatus in valetudinem oculorum Phaniæ.

Sex. Clodius rhetor è Sicilia, Latinæ, & Græcæ eloquentiæ profeſſor, malè oculatus fuiſſe dicitur, familiaris, & præceptor M. Antonii Triumviri. *Cicer. in Phil. & Suet.*

Horatius Flaccus variis in locis lippum ſe fuiſſe docet, ut *A Satyra 5.*

A *Hic oculis ego nigra meis collyria lippus*
Illinere——

Item.

Luſum it Mecœnas, dormitum ego, Virgili uſque:
Namque pila lippis inimicum & ludere crudis.

Augustus Cæſar cùm inter Virgilium Maronem, qui ubique ſuſpirabundus obſervatus eſt, & Horatium, conſediſſet, rogatus à quodam amicorum, quidnam ageret? Sedeo, inquit, inter ſuſpiria, & lacrymas. *Sabellicus.*

Sub Hunerico Vandalorum rege orthodoxis Chriſtianorum Epiſcopis miraculis clareſcentibus, Cyrola Arianorum Epiſcopus cacozelia motus, Hominem conduxit, qui innatam ſe prætereunte cæcitatem ſimulans, opem ejus imploraret in hanc ſententiam: Quæſo te, beatiſſime Cyrola, religionis noſtræ antiſtes, ut edas exemplum gloriæ, ac virtutis tuæ, meoſque adaperias oculos. Accedit ad eum Cyrola hæreticus, & admotis manibus ad oculos cæcum ſe mentientis: Secundùm fidem, inquit, noſtram, qua rectè in Deum credimus, aperiantur oculi tui. Ad quæ verba dolor tantus oculos illius invaſit, ut digitis vi comprimere eos, ne creparent, cogeretur. *Gregorius Turonen. lib.2. cap.3.* Ergo tandem de- B tecta fraude Cyrolæ, precibus orthodoxorum dolore liberatus eſt.

De Potore quodam, *idem Epigram. lib.6.*

Potor nobilis, Aule, lumine uno
Luſcus Phryx erat, alteroque lippus:
Huic dicit medicus, Bibas caveto
Vinum: ſi biberis, nihil videbis.
Ridens Phryx, oculo: Valebis, inquit,
Miſceri ſibi protinus deunces,
Sed crebros jubet. Exitum requiris?
Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

Curatio.

Æsculapii fanum Naupacti à fundamentis olim erexit vir privatus Phalyſius. Ei aliquando graviter ex oculis, & ferè uſque ad cæcitatem laboranti, qui Epidauri colitur Deus, Anyten miſit, nobilem verſibus faciendis fæminam, cum tabulis obſignatis. Eas per viſum in quiete mulier ſibi accipere viſa fuerat: ſed vero eventu res eſt comprobata: tenuit enim manibus jam vigilans obſignatas tabulas. Naupactum igitur cùm C appuliſſet, jubet Phalyſium amoto ſigno literas inſpicere. Ille primò putare literas à ſe aſpici non poſſe, qui oculis captus eſſet. In ſpem deinde erectus, ſalutare ſibi fortaſſe aliqui ab Æſculapio apportari, tabulis reſignatis, in ceras aſpexit, & ſimul ſe oculorum calamitate levatum ſenſit. Et Anytę quidem, quæ ei in illis tabulis ſcripta fuerat, pecuniam expendit, bis mille nummorum aureorum. *Pauſ. in Phocicis.*

Ex oculis Pauſon quidam laborabat: Adſtitit illi per noctem Æſculapius, juſſitque apri pinguedine, aceto liquefacta inungere oculos. Is cùm rem cum ſuo medico communicaſſet: illi cauſas afferre conatus eſt. Nam acrimonia aceti ſiſti tumorem, pinguedine verò paulatim inungi, & ali oculos. Hinc proverb. Æſculapius Pauſonem, & Irum, & quemvis alium inopem ſanaverit. *Suidas.*

M. Servilius Nonianus princeps civitatis Rom. in metu lippitudinis, prius quam ipſe eam nominaret, aliuſve prædiceret, duabus lituris Græcis P & A chartam inſcriptam, circùm ligatam lino, ſubnectebat collo. Mutianus ter con- D ſul, eadem obſervatione viventem muſcam in linteolo albo: his remediis carere ipſos lippitudine prædicantes. *Plinius lib.28. cap.2.*

Paul. Diac. lib.2. de geſtis Longob. cap.9. tradit, Felicem, & Fortunatum oculorum dolore vehementi cruciatos, ad altare Martini ſeſe contuliſſe, ibique in oleo lucernæ, quæ cineribus Martini erat accenſa, paululum intincto digito oculos illiniſſe: quo facto, viſum recuperarint.

Puero quodam continuas effundente lachrymas, quæ nulla conſolatione, vel arte medica curari poterant, D. Bernardus, cùm priùs puer ſuorum peccatorum confeſſionem ediidiſſet, ſolo oſculo morbum ſuſtulit. *Auctor vitæ lib.1. cap.12.*

De ſe Avenzoar Albumaron medicus ſcribit: quod oculo laborans, cui remedium non inveniebat, per quietem viſus eſt ſibi medicum, non multò ante mortuum tanquam viventem ſe alloqui, & ab eo remedia audiviſſe, quibus liberaretur. Quę ſequutus, liberatus eſt. *Fulg. lib.1. cap.5.*

Ad Mulierculam, quandam oculorum lippitudine aliquamdiu laborantem, caſu nebulonem divertiſſe narrant, E qui ſanationem oculorum certiſſimam pollicitus, ſuſpenſa in ipſius collo ſchedula, tam cavit ſtrictè, ne ea auferretur, aut aperiretur, aut legeretur, ut nihil hinc prorſus expectandum juvamenti aſſeruerit, ſi aliquo hic modo delinqueretur. Mulier in multam erecta ſpem confidens, à lachrymis ſe quoque continuit, quibus anteà oculorum accreſcebat malum: atque hac ratione paulatim convaluit. Demùm ob adeptam ſanitatem ſchedula negligenter habita decidit: ejuſque, cui hactenus unicè fidebat, animadverſa dein jactura, redeunt lachrymæ, malumque recrudeſcit. Schedulæ interim ab alio inventæ, reſeratæ & lectę, inſcripta Germanico idiomate hæc ajebat fuiſſe verba; Diabolus eruat tibi oculos, & foramina merda ſua repleat. *Vierus lib.4. cap.15. de Præſtigiis dæm.*

Petrus Ramus Veromanduus Lutetiæ literis operam dans, ex immodicis vigiliis in ophthalmiam incidit. Jacobus Sylnius, ſummus alioqui medicus, ex Hippocratis aphoriſmo, Oculorum dolores meri potio ſolvit, vino generoſiſſimo uti hominem juſſit. Cujus hauſto ita crevit malum, ut vix tandem multis remediis extingui potuerit. F

STRABI.

Thersites omnium Græcorum, qui ad Trojam navigaverant, deformoſiſſimus, altero oculo ſtrabo fuiſſe dicitur, *Homer. lib.2. Iliados.*

Menander Athenienſis, Diopithis, & Hegeſiſtrates F. celebris apud omnes novæ Comœdiæ poeta, ſtrabis quidem oculis, ſed acuto ingenio fuit. *Suidas.*

Roſcius Gallus obliquis oculis depingitur à *Cicerone de Oratore.*

* OCULORUM PERFECTIO.

Utputa.

Qui oculos claros habuerint, perſpicaces.

Ferunt Auguſtum Cæſarem corpore toto, ſed oculis magis pulchrum fuiſſe, quorum aciem clariſſimorum ſiderum modo vibrans libenter accipiebat cedi ab intuentibus, tanquam ſolis radiis, aſpectu ſolo, à cujus facie cum quidam ſe averteret, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret; reſpondit? G Quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum.

Quòd etiam obſervavit *Joannes Langius*, Medicus ille pręſtantiſſimus, Nullum, inquit, reperitur in humani corporis fabrica ſenſus organum, quod tanta ſpirituum copia ſcateat, & ſpiritus fulgor emicet, ut de oculis Pupilli vapor.

Quin, & Auguſtus Cæſar tam lucidos fertur habuiſſe oculos, ut in quos paulò attentius oculos intuitu defixiſſet, hos tanquam ad ſolis fulgorem oculis connivere cogeret.

Suetonius quoque eſt auctor, Tiberium Cæſarem experrectum, in tenebris, ut feles, vidiſſe. Nam & Gellius ſcribit, in ultima terra, cui Albani nomen eſt, incolas in pueritia caneſcere, & noctu acutius, quam interdiù cernere, fulgore ſcilicet teneram viſus aciem obtundente.

Præterea mirum eſt, & vix fidem meretur, quòd hiſtorici de quodam Strabone ſcribunt. Eum enim ferunt tanta viſus acie fuiſſe, ut centum triginta quinque millia paſſuum intervalla conſpexerit, nimirum eum ſolitum Punico bello à Lilybæo Siciliæ promontorio exeuntem claſſem ex Chartaginis portu, in eaque ſingulas naves numerare, ſicut teſtatur *Cicer.* H *Plinius, Strabo, Valerius, & alii.*

Nec minus mirum eſt ſuperioribus annis quendam Hiſpanum Jopem in Gadibus fuiſſe, qui ex edito monte, quem vocant Calpen per fretum illud oppoſitum acie oculorum penetrare, ex Europa in Africæ littus (cujus trajectus, teſte Clenardo, mari tranquillo ſpatio trium aut quatuor horarum eſt) ea, quæ ibi, vel in portu, vel in terra proxima agerentur, judicare potuerit, ejuſque ſpeculatoris induſtria, Gaditani ſæpius inſidias pyratarum vitaverint, ſicut quidam nobilitate, & dignitate præſtans vir, qui ibi id coram ab eo audivit, & inter alia eum ſupercilia præter morem longioribus pilis habuiſſe recenſuit. Rara hæc ſane, & ſi naturalia, & non accendentibus magicis artibus memorabilia, & mira ſunt.

* BRUTA OCULIS PERSPICACIBUS PRÆDITA.

A Non ſolùm autem hominibus hæc facultas videndi (in quibuſdam actior, in quibuſdam minor) ſed etiam Brutis animalibus, ut aquilis, vulturibus, leonibus, lyncibus, lupis, canibus, aliiſque interdum igneis lucentibus, & ſcintillantibus oculis naturaliter data, & conceſſa eſt, ſicut multæ hiſtoriæ, & ipſa quoque experientia id teſtatur.

Sed quale eſt, obſecro, illud monſtrum, igneis oculis, in mari Islandico, de quo ita ſcribit *Ditmarus Bleſbenius*, tanquam teſtis αὐτόπτης. Habet quoque mare Islandicum Monſtrum, cujus nomen incognitum eſt. Balenæ ſpeciem judicant primo intuitu, cùm caput ex mari oſtendit, homines ita perterret, ut ferè exanimati decidant, caput quadratum habet, oculos flammeos, circumcirca longis cornibus munitum, corpus nigrum, & atris pennis obſitum eſt, ſi quando noctu conſpicitur, oculi igniti ſunt, ut totum caput, quo è mari exerit, illuſtret, horribilius nihil aut pingi, aut comminiſci poteſt.

Olaus Magnus hujus monſtri meminit, dicitque duodecim cubitos eſſe longum. Ejuſmodi monſtrum Scapham piſcato- B riam mordicus tunc temporis contriverat ſuis dentibus, in qua tres fuerant piſcatores: ita ut illi ſubmergerentur, unus qui funiculum, quo hamum, & piſces ducere ſolebat, manu prehenſum retinuit, tabulæque, quæ in mari natabat, adhærebat: ita ille ex imo in aſſerem reluctatus eſt, ſervatuſque enatavit meque præſente regio præfecto hæc narravit, addens, ſe divinitus ſervatum, ut liberis alioquin perituris victum quæreret, cùm exteriduo, mariti quidem, ſed ſine liberis fuiſſent. Hucuſque *Bleſbenius*.

* OCULI LIBIDINEM EXCITANT. ET AD EAM MOVENT.

Poetæ dum amores ſuos decantant, cauſam eorum in oculos ſolent coniicere. Sic *apud Propert.*

Cynthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.

Et idem.

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

Refert *Guazzus de civili converſ. lib.*4. artificem quendam Venerem dormientem effinxiſſe, cum hac inſcriptione,

Cave, viator, excites ſomno Deam.
Sua adaperiens, tua namque claudet lumina,

& addit. Nigris oculis ineſſe vim majorem ad amoris incen- C dium, atque Italos maximè illos laudari, ac tales fuiſſe Veneri.

Apud Ultramontanos tamen cęruleos primas tenere, quales Homerus Palladis fuiſſe ſcribit, quæ θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη familiari Epitheto dicitur.

OCULORUM CUSTODIA. ET QUANTUM INCUSTODITI NOCEANT.

Ob ea, quæ præcedenti titulo dicta ſunt, toties de oculo nequam abiiciendo, & cavendo, divinæ paginæ nos hortantur. Orat David averti oculos ſuos, ne videant vanitatem: & conqueritur. *Hierem. Thren.*2.

Oculus meus deprædatus eſt animam meam. Idem ille *c.*9. Aſcendit mors per feneſtras. Salomon verò ſuadet, ut oculi noſtri recta videant, & palpebræ noſtræ pręcedant greſſus noſtros, id eſt, non divagentur in omnem partem. *Proverb. cap.*4.

Quantum autem oculorum cuſtodia ſit neceſſaria ad evitandum peccatum, docet nos exemplo ſuo Eva. Quæ ante- D quam fructum vetitum concupiſceret, videbat lignum, quod eſſet pulchrum. *Geneſ.*3. & tulit de illo, & comedit.

Pulchritudo viſa mulierum fuit occaſio multorum malorum, videntes Filii filias hominum, quòd eſſent pulchræ, *&c. Gen.*6.

Ex eo quòd Cham filius Noe vidit verenda patris, & ipſum nudatum eſſe, fratribus nuntiavit, maledictionem patris incurrit. *Gen.*9.

Abraham dixit uxori ſuæ Sarai: Novi, quòd pulchra ſis mulier, & cùm viderint te Ægyptii, interficient me, & te reſervabunt. *Gen.*12.

Volens videre regionis mulieres Dyna, ipſa corrupta fuit. *Gen.*34.

Judas vidit Thamar in bivio, & cum ea peccavit. *Gen.*38.

Domina, cui ſerviebat Joſeph, oculos in eum injecit. *Geneſ.*39.

Dixit Dominus ad Moyſem: Conteſtare Populum, ne fortè velint tranſcendere terminos ad videndum Dominum &c. E *Exod.*19.

Vidit David de ſolario ſuo mulierem lavantem ſe ex adverſo, & tulit eam, & poſt virum illius doloſè fecit occidi. 2. *Reg.*11.

Cùm juraſſet Judith ante faciem Holofernis; ſtatim captus eſt ille in oculis ſuis. Unde dicitur ejuſdem *cap.*16. Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus, pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus. *Jud.*10. *&* 16.

Videbant duo Senes Suſannam quotidie ingredientem, & deambulantem, & exarſerunt in concupiſcentiam ejus. *Daniel.*13.

Quia filia Herodiadis ſaltando placuit Herodi, ipſe ei ſtultè promiſit, quod crudeliter implevit. *Matt.*14. *Marc.*6.

Etiam Sathanas Chriſto oſtendit omnia regna mundi, ut eadem videndo ad illorum appetitum inflammaretur, & ipſe deſiderii ſui compos redderetur. *Matt.c.*4.

EXEMPLA HISTORICA, ET APOPHTHEGMATA. F

Cùm Alipius Romæ eſſet, ut jus diſceret, ibi gladiatorii ſpectaculi hiatu incredibili, & incredibiliter abreptus eſt: cùm enim averſaretur, & deteſtaretur talia, quidam ejus amici, & condiſcipuli, cùm fortè de prandio redeuntibus obvius eſſet, recuſantem vehementer, & reſiſtentem, familiari violentia duxerunt in amphitheatrum, crudelium, & funeſtorum ludorum diebus, hæc dicentem: Si corpus meum in illum locum trahitis, & ibi conſtituitis, nunquid & animum, & oculos meos in illa ſpectacula poteſtis intendere? Adero itaque abſens, ac ſic & vos, & illa ſuperabo. Quibus auditis, illi nihilo ſegnius eum adduxerunt ſecum, id ipſum fortè explorare cupientes, utrùm poſſet efficere. Quò ubi ventum eſt, & ſedibus, quibus potuerunt locati ſunt, fervebant omnia immaniſſimis voluptatibus. Ille clauſis foribus, interdixit animo, ne in tanta mala procederet, atque utinam & aures obturaviſſet. Nam quodam pugnæ caſu, cùm clamor ingens totius populi vehementer eum pulſaſſet; curioſitate victus, & quaſi paratus quidquid illud eſſet, etiam viſum contemnere, & vincere, aperuit oculos, & percuſſus eſt graviore vulnere in anima, quam ille in corpore, quem cernere concupivit, ceciditque, miſerabiliùs quàm ille, quo cadente factus eſt clamor, qui per ejus aures intravit, & reſeravit ejus lumina, ut eſſet, qua feriretur, & deiiceretur audax adhuc potiùs quàm fortis animus, & eo infirmior, G quo de ſe præſumpſerat, qui debuit de te: ut enim vidit illum ſanguinem, immanitatem ſimul ebibit, & non ſe avertit, ſed fixit aſpectum, & hauriebat furias, & neſciebat, & delectabatur ſcelere certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur: Et non erat ille, qui venerat, ſed unus de turba, ad quam venerat, & verus eorum ſocius, à quibus adductus erat. Quid plura? Spectavit, exclamavit, exarſit, abſtulit inde ſecum inſaniam, qua ſtimularetur redire, non tantùm cùm illis à, quibus priùs abſtractus eſt, ſed etiam præ illis & alios trahens. Et inde tamen manu validiſſima, & miſericordiſſima eruiſti eum tu, & docuiſti non ſui habere, ſed tui fiduciam, ſed longè poſteà *D. Aug. l.6. Confeſſ. cap.*8.

D. Antonius Eremita, cùm natus annos triginta quinque in deſertum abire contenderet, non ceſſavit infatigabilis adverſarius ejus propoſitum impedire; nam in ejus itinere argenteum diſcum projecit. Quo viſo, Antonius callidi artificis agnovit aſtutiam, ſtanſque intrepidus, & diſcum torvis intuens oculis, doli auctorem in phantaſmate objurgabat argenti, talia ſecum reputans: Unde hic in deſerto diſcus? H avium hoc iter eſt; nulla ſunt veſtigia commeantium; lapſus de ſarcina, præ magnitudine latere non potuit: ſed & qui perdiderat reverſus, ob ſolitudinem locorum inveniſſet, quod ruerat. Hoc artificium, diabole, tuum eſt; non impedies voluntatem meam; argentum tuum tecum ſit in peditionem. Hæc illo dicente, diſcus, ut fumus à facie ejus evanuit. Dehic non ut ante in phantaſmate, ſed ingentem auri maſſam in itinere conſpexit. Verùm hanc utrùm diabolus ſimulaverit, an ad Antonium comprobandum, quia nec veris opibus ineſcaretur, virtus cœleſtis oſtenderit, ignoratur; hoc tamen agnovimus, quia quòd viſum eſt, aurum fuit. At ille magnitudinem admiratus radiantis metalli, rapido curſu, quaſi quoddam vitaret incendium, ad montem uſque perrexit. *D. Athan. in vita ejus.*

Magnus ille Euſebius, cùm ſemel ab auditione lectionis Evangelicæ aſpectu quorundam agricolarum diſtraheretur, A qui in ſubjecto campo terram excolebant, ita ſeipſum punivit, ut per quadraginta annos, & eo ampliùs, quibus poſteà vixit, nec agrum aſpiceret, nec in cœlum, & aſtra oculos attolleret; ſed ſemper, injecto in collum collari ferreo, inclinatus incederet. Interrogatus autem, quam ob cauſam ſe tam ſeveriter ob modicum defectulum caſtigaret, reſpondit dignam ſanctiſſimo viro ſententiam: Ne, dixit adverſarius de rebus magnis bellum gerat, conor illum ad hæc parva traducere. *Theoderet. in hiſt. SS. Pat. cap.*4.

Oculis rectè utendum eſſe allato hoc ænigmate D. Franciſcus ſedulò ſuis fratribus inculcabat: Rex quidam præpotens, ſed pius, ſucceſſivè duos ad Reginam legavit nuncios; quorum prior reverſus, & verbis tantùm propoſitis verba reddidit, & de Reginæ perſona planè retulit nihil: ſiquidem oculos cautè tunuerat, ne in Reginæ faciem proſilirent. Rediit alter, & poſt pauca, quæ ad legationem pertinebant; Verè, inquit, Domine Rex, vidi pulcherrimam mulierem, felicem te reputo, cui illa conjunx obtigerit. Serve nequam, inquit Rex, verè impudicitiam tuam prodis: quid ſupereſt, niſi ut conclu- B dam, te proſpectam impudicis oculis opprimere animo cogitaſſe? Priori verò nuncio aſcito; Quid, ait, de Reginæ tibi perſona videtur? Optimè, reſpondit; Nam & patienter me audivit, & ſapienter reſpondit. Sed quid de forma, & pulchritudine ejus cenſes? Tuum id eſto, ait, Rex, & videre, & judicare; mei muneris fuit, verba ejus audire, ac referre. Tum Rex, de utroque ferens ſententiam, illum palatio expulit; hunc verò à cubiculis conſtituit: Ne, inquit, ille thalamum meum polluat; tu verò illum conſtituas. Quibus Franciſcus ſubiiciebat: Quis non deberet vereri, in Chriſti ſponſam profanos oculos coniicere. *Ex Chron. Fr. Minorum Gallicè lib.*1. *cap.*34.

Carolus V. Imper. uxorem adhuc habens: ſæpè clauſit ipſemet feneſtram, ne inſpiceret formoſiores fæminas, cùm eas ex feneſtra eminus adventantes, aut prætereuntes fortè conſpexiſſet, aut præterituras inaudiſſet. *Guil. Zenocar. lib.*5. *de vita Caroli V.*

In hiſtoriis Fr. Minorum D. Franciſci narratur, quendam puriſſimæ vitæ Fratrem, nomine Rutgerum, diligentiſſimum oculorum ſuorum cuſtodem fuiſſe, ſic ut nunquam in fœminas, etiam cognatas, quas alloqui neceſſe habebat, eos con- C jecerit. Unde Pater ſpiritualis, qui perſpectam ejus conſcientiam habebat, eum aliquando percontatus eſt, quid cauſæ eſſet, cur, cùm tanto puritatis dono præditus eſſet, tamen vultum averteret à conſpectu mulierum honeſtarum; Et reſpondit homo ſanctus, & à Deo illuſtratus: Pater, inquit, quando homo facit, quod in ſe eſt, & occaſiones peccandi fugit, tum viciſſim Deus facit, quod in ſe eſt, & hominem tuetur, ac cuſtodit: At quando homo ſe temerè coniicit in diſcrimen, tum etiam juſtè à Deo deſeritur; ac ita fit, ut facilè ob naturæ corruptionem in peccatum aliquod grave dilabatur. *Ex lib.*1. *Conformitatum S. Franciſci part.*2.

De hac re exemplum accidit Domino teſte ejuſmodi ejus Mulieris, quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorciſmo cùm oneraretur immundus ſpiritus, quod auſus eſſet fidelem aggredi; conſtet, & juſtiſſimè quidem, inquit, feci, in meo eam inveni. Conſtat, & alii linteum in ſomnis oſtenſum ejus diei nocte, qua tragœdum audierat, cum exprobratione nominato tragœdo, nec ultra quintum diem eam mulierem in ſeculo fuiſſe. Quibus exemplis docemur, eos cum diabolo communicare, & à Domino excidere, qui D profana ſpectacula libenter viſunt: nemo enim poteſt duobus dominis ſervire. *Tertull. lib. de Spectaculis cap.*26.

☞ *Vide Locum de Spectaculis.*

Arſenius dum in eremo viveret, à mulieris videndæ aſpectu alienus admodùm fuit. Is enim, cùm quædam non obſcuri generis matrona illum videre cupiens, de improviſo in hoſpitiolum ejus ipſi occurriſſet, repentè avertit ſe, & muliebrem audaciam verbo, & geſtu incuſat. Rogo, inquit, illa, ne indignè feras adventum meum, quæ ſincera mente, & pio affectu huc veni. Aut ſi eo quidnam offenſus es veniam da, ac pro me Deum, cui ſoli ſervis, deprecare. Precabor Deum, reſpondit, & quidem multum, ne tui unquam meminerim. *D. Auroultius Tom.*3. *Catech. hiſtorici Tit.*44. *De quinque Senſib.*

Quidam vir narravit nobis, cùm in Alexandriæ eſſemus, tale quiddam: Sanctimonialis, inquit, quædam ſedebat in domo ſua, vitam ſolitariam ducens; ſalutiſque ſuæ valdè ſollicita jejuniis, ac vigiliis vacabat jugiter, multaſque faciebat eleemoſynas. Sed bonorum omnium ſemper invidus diabolus tantas in virgine virtutes non ferens, contra illam pulverem excitavit. Immiſit enim adoleſcenti cuidam tur- E pem de illa, diabolicamque cupidinem. Manebat autem extra limen ejus adoleſcens. Cùm ergo virgo illa domo ſua vellet egredi, atque ad Eccleſiam orationis gratia occurrere, ingerebat ſe illius oculis improbus, & impurus adoleſcens, nec illam egredi ſinebat, amatoria quædam verba procacibus nutibus illi inſuſurrans, adeò ut jam præ nimia moleſtia adoleſcentis cogeretur virgo domo ſua nuſquam progredi. Die igitur quadam miſit ancillam ſuam virgo ad illum, ut ei diceret: Veni, vocat te domina mea. Abiit ergo ad illam gaudens, & ſtuprum committere geſtiens: Sanctimonialis ſedebat in cubili ſuo. Ingreſſo igitur adoleſcenti: Sede: cùmque ſediſſet, Dic, oro te, frater, inquit illa, cur ita mihi moleſtus es, nec permittis me domo mea egredi? Reſpondit adoleſcens; Verè, domina, te multùm amo, & quando te inſpicio, totus in tui concupiſcentiam inflammor. Quæ ait ad illum: Quidnam in me pulchrum vidiſti, quia ſic amas me? Ait adoleſcens: Oculos tuos: ipſi enim ſeduxerunt me. Virgo verò, ut audivit, quia oculi ejus illum ſeduxiſſent, ſumpto gladio mox oculos eruit. Hoc autem cum vidiſſet F adoleſcens, eruiſſe ſcilicet ſibi virginem oculos, compunctus corde abiit in Scitim, ibique ſæculo renuncians, effectus eſt probatiſſimus monachus, *Sophron. Epiſc. Hieroſolym. Prati ſpirit. cap.*60.

Valentis Imp. temporibus, cùm D. Antonius eremita propter Arianos è ſolitudine Alexandriam deſcendiſſet, Didymo, viro admirabili, & facundo, ſed oculis capto, fertur eſſe congreſſus, & cognita illius prudentia ad ipſum dixiſſe: Nihil ò Didyme, turbet te corporalium oculorum jactura. Talibus enim deſtitutus es oculis, quibus & muſcæ, & culices videre poſſunt; ſed lætare, quòd oculos habens, quibus & Angeli vident, & Deus conſideratur, ac lux illius apprehenditur. *Socr. lib.*4. *hiſt. Eccl. c.*25.

Cæterùm oculorum fidam, & accuratam Cuſtodiam etiam commendamus Hugonis Gratianopolitani Antiſtitis exemplo, qui adeò fideli hujus membri cuſtos, ut cùm R. P. Guidonis mater eum ſalutatum veniſſet, poſt ejus ab eo receſſum quæreret Guido, Nunquid mea mater ſenio debilitata eſt, & fracta? paululùm ſecum præmeditatus; Neſcio, inquiebat planè cujus ætatis ſit, neque enim faciem ejus intuitus ſum. Sciebat vir pius, quòd ſi oculus ſimplex fuerit, totum corpus luci- G dum erit. Lucernas namque corporis tui eſt oculus tuus. *Ex Guidone in vita ejus Beyerl. in apophth. Chriſtian.*

Ut autem ad S. Ephrem deveniamus: ingreſſurus Edeſſam oppidum, Deum orabat, ut primo occurſu in talem hominem incideret, quem & doctrina ſua reficere poſſet, & ad meliorem vitæ normam iter præbere. Ecce cogitabundo, ut portas ingreditur, obvia fit mulier, notoria illius loci peccatrix, quam intuens vir ſanctus, conſtitit fixis in eam oculis, ſed hæc viciſſim attentiùs in eum intuetur. Ille verò conatus eam pudore ſuffundere; Quid, inquit, non erubeſcis mulier tam acutum nos intuens? E contra hæc; Me, ait, convenit te ſic aſpicere: nam de tuo latere ſumpta ſum. Te verò terram, non me adſpicere fas eſt: nam tu primùm ex ea formatus, & ſumptus, quod ſtratagema verſu redditum hic adjungo:

Aſpexit juvenem formoſa puella modeſtum,
Illius in vultu lumina fixa tenens.
Hic ait, In terram potiùs tu deiice ocellos,
Non oculos habeat caſta puella vagos.
Immò, ait hæc, magis in terram tu lumina figas, H
Ex terra primùm nam tua facta caro eſt.
Noſtri principium fuit ortus coſta virilis.
Hanc quæro, ut jungi me velit ipſa ſibi.
Ex Sur. in Vita Tom. 1. *Idem ibid.*

Nec aſpernandum hoc loco, quod apud *Guil. Baldeſanum l.*3. *de Stimulis virtutum Adoloſcentiæ*, legiſſe me pridem memini. Accidit, inquit ille, nuper Viro illuſtri, quòd adſtaret alteri non inferioris dignitatis in templo: cùmque ingreſſa eſſet adoleſcentula, genere, & forma nobilis, oculos (ut hoc ævo plerique faciunt) illicò in ejus adſpectum reflexit: quòd cùm alteri illi diſplicuiſſe animadverteret, ejus ſeveritatem comprimere auſus illo Pſalmi verſu; Delectaſti me Domine in factura tua, ſed ille ex tempore, ſuaviter ſanè, Perge, ait, & vide, quæ eodem in Pſalmo ſequantur, & invenies: Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Attonitus ille inopinato reſponſo, obmutuit. *Beyerl. ſuprà.*

EXEM-

EXEMPLA QUÆDAM ETHNICORUM, EJUSDEM CUM SUPERIORIBUS ARGUMENTI.

A Laudatiſſima eſt ſententia: Uxorem ei, qui non habet, auribus, non oculis, quærendam, nec de moribus, & virtute ejus noſtrum aſpectum, ſed famam judicare debere. Quare graviter accuſatur Sylla, quod in Valeria uxore ducenda oculos in conſilium adhibuerit.

Apulejus, & Hermes Platonis diſcipuli oculos ſibi eruiſſe dicitur, ne illorum uſu à ſtudio virtutis avocarentur.

Iſæus Aſſyrius Sophiſta dum à quodam, qui decentis formæ mulierem ei exhibebat, interrogaretur num formoſa videretur? reſpondit; Deſii laborare ab oculis, non aſpexerat, ne amori illicito pararet aditum.

Alexandri Macedonis præclarum, & imitatione dignum factum eſt. Habebat Darii filias in cuſtodia, eaſque non niſi defixis in humum oculis ſalutabat, & ad familiare, dixit, Non committendum, ut qui viros vici, à fœminis vincar. Laudat ejus pudicitiam *Plutarchus*. Reliquis, inquit tanto fuit ſuperior pudicitia, quantum fortitudine Perſis; nullam enim invitam vidit, & quas vidit, magis præteriit, quam non viſas: ut B cum alia fuerit humaniſſimus, adverſùs pulchritudinem formæ dumtaxat ſuperbè ſe geſſerit, atque hoc exemplo oculorum curioſitatem comprimere conatur idem *Plutarchus*. Alexander inquiens, Darii uxorem, quæ formoſiſſima erat, in ſuum noluit venire conſpectum: non lecticis mulierem oculis ſubiicientes, & eos à feneſtris ſuſpendentes, nihil peccare nobis videntur: adeò lubricam, & ad omnia fluentem curioſitatem facientes?

* DE PICTURIS INHONESTIS NONNULLA.

Sanè nihil pernicioſius oculorum caſtitati, & integritati obvenire poteſt, quam indecentium, & impudicarum picturarum, & imaginum objecta, penetrant enim per fornices illos ad animam, & eam deprædantur. Unde Propertius obſcenarum picturarum aſpectum damnavit, quod intuentium oculos corrumperet. Hinc illa ejus ſapienter dicta, utinam æquè prudenter omnia! *lib.2. Eleg.6.*

Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas,
C *Et poſuit caſta turpia viſa domo:*
Ille puellarum ingenuos corrupuit ocellos,
Nequitiæque ſuæ noluit eſſe rudes.

Plura in deteſtationem impudicarum picturarum legantur apud *Clementem Alexandrinum orat. ad Gentes.*

☞ *Pleraque ad hunc Locum ex Loco de Viſu, & Viſione lib. ult. hujus Operis.*

Odium.

Definitio, & Etymologia.

Odium, Græcè μῖσος, & μισητὸς, odioſus: & μισέω, odio, dicit, Hebr. *Seneach*, à verbo *Sane*, odit, odio habuit, hoſtiliter infeſtavit, hoſtis fuit. Cognationem habet cum nomine *Aſon*, id eſt, nocumentum: quos enim odimus, illis quoque nocere ſtudemus. Hinc ſi *Num* tranſit in μ Græcum fit per converſionem radicis μισέω odi μῖσος odium. Eſt autem odium, ira inveterata, *ſecundùm Aug. Cic.* D *lib.3. Tuſcul. qq.*

Odium eſt vetus ira, ex pluribus cauſis collecta, diuturno tempore perſeverans, *ſecundùm Aug. lib. Diffin.*

Odium eſt diſſonantia appetitus animalis, vel appetitus rationalis ad apprehenſum, ut diſconveniens, ſicut amor eſt conſonantia ejus ad conveniens, *ſecundùm B. Thom. 1. Sec. quæſt. 29. art. 1. 2.*

Odium differt ab Invidia, quod odium in brutorum etiam natura comperitur, ut eſt inter egithum, & acanthidem, quorum, nec cruor quidem, cùm interfecti fuerunt, commiſceri poteſt: quod ſi fortè miſcueris, rurſus fluit, & ſeparatur. Invidia verò humanum genus non excedit, *ſecund. Plut. in lib. de differentis odii, & invidiæ.*

Odium item differt ab Invidia, quia nemini juſtè invidemus, odio verò juſtè quam plures habentur, ſicuti, qui neque malorum conſuetudinem fugiunt. Multi odio ſe habent, nemo ſibi invidet.

* Divisio, et Origo.

D. Thomas tractans de vitiis oppoſitis charitati, dicit: quod ſicut duplex eſt amor, amicitiæ, & concupiſcentiæ; ita etiam duplex eſſe odium, aliud inimicitiæ, aliud abominationis. E Odium inimicitiæ eſt, quo ejus, quem odimus, malum diligimus. Odium abominationis eſt, quo ejus, quem diligimus, malum odimus. Poſterius autem priore deterius eſt, quia pejus reputatur odiſſe perſonam, quæ ſecundùm ſe odibilis eſſe non poteſt, quàm malum ejus.

Oritur autem odium ex Invidia, nam ſicut delectabile allicit ad amorem, ita triſtitia de bono proximi facit, ut nobis bonum illud ſit odioſum.

* ODIUM RESPECTU DEI.

Quale habent Impii.

Quamvis Deus, ſi ſecundùm eſſentiam ſpectetur, odio haberi nequeat, aut ſecundùm illos effectus, qui ne, pravæ quidem voluntati poſſunt eſſe contrarii, ut ſunt, eſſe, vivere, intelligere: poſſunt tamen Impii Deum odiſſe, ut eſt auctor effectuum, qui pravæ eorum voluntati diſplicent, puta juſtæ pœnæ, & coercitionis. Unde Deum odio habent mali, non quod in Deo ſit aliquid odibile, ſed quod in ipſis ſit defectus talis, qui bonum Deum impellat ad puniendum. Unde ſcriptum legimus de impio. Tu verò odiſti diſciplinam. *Pſalm. 49.* Oderunt & me, & patrem meum. *Joan. 15.* videatur F *Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 23.*

* DAMNATI INFERNO.

Etiam damnati apud Inferos Dei nomen blaſphemant, cumque ita oderunt propter tormenta, quæ juſtè illis inferuntur, ut etiam malè illi velint tanquam inimico.

Concipiunt enim odium inimicitiæ adverſùs plagas ſibi illatas, earumque auctorem, veluti in vita odium abominationis conceperant adverſùs æquiſſimas illius leges.

* Gravitas.

Odium Dei maximum peccatum affirmat *S. Thomas*, opponitur enim charitati, quæ præſtantiſſima virtutum eſt, cujus rationem formalem, & ſubſtantiam illud evertit. Qui enim Deum odit, ait *Malder. comment. in 2.2. q.34. art.2.* rem ſummè diligendam odit, & excludit omnem erga illum affectum. Ideòque eſt tale, quod nulla circumſtantia poteſt reddi bonum, aut laudabile. Unde merito damnavit *Sorbona* articulum, qui habebat, Deum poſſe præcipere odium ſui. G

ODIUM, VEL RE VERA, VEL OPINIONE MALORUM.

ΜΙΣΟΣ.

Hujus quædam veluti ſpecies eſt ἔχθρα, Inimicitia, ſicut Amicitia τῆς φιλίας. Odimus etiam nos amantes: at inimici ſumus inimicis: Ex loco Inimicitiæ petantur exempla. Nos hìc pauca, ut digitum veluti ad fontem intendamus.

RESPECTU PROXIMI. Ac Primum.

Omnium hominum oſores.

Μισάνθρωποι.

☞ *Conſequitur hunc effectum Solitudinis ſtudium. Ex tit. Monachorum, & Eremitarum, non pauca exempla huic loco inſervient. Neque verò hic conſilium ſolitudinis, quod modò laudabile eſt, modò vituperabile, perpendimus: ſed ſolùm converſationis humanæ odium, quacumque tandem de cauſa fiat.* H

Garamantes Africæ populi omnium hominum commercium fugiunt, nihil bellicæ armaturæ habentes, ac ne defendere quidem ſeſe audentes. *Herod. lib.4.*

Timon Athenienſis non religione, non cœleſtium rerum indagine adductus, ſolus eſſe voluit, ſed pravo quodam affectu, rigoreque naturæ, omni hominum commercio ſibi ipſi interdicto. Is domicilium in agro Attico paravit, ut hominum congreſſum fugeret, vixque unus Athenienſium Apemantus ab eo admittebatur. Qui cùm ſuper cœnam jculariter dixiſſet; Nonne ſatis pulchrum hoc convivium, Timon: Pulchrum, quidem reſpondit, ſed adhuc Pulchrius futurum, ſi abeſſes, *Sabell. lib.7. cap.2.*

Myson Strymonis filius, Cheneus genere, à vico quodam Laconiæ, Apemanti, & Timonis moribus fuit hominum oſor, ut qui in ſolitudine ſolus riſerit. Cùmque à quodam, qui fortè intervenerat, rogaretur, Cur præſente nemine riſiſſet? At ob hoc ipſum rideo, reſpondit. Hunc tamen Pithia ſapientiorem

Anacharſide, vel (ut alii) Chilone eſſe aſſeruit. A *Laert. in ejus vita.*

Cordillo philoſophus Stoicus, Pergamenus, tam moroſus fuiſſe dicitur, ut omnium principum, ac regum amicitias ſpreverit. Hunc Cato Uticenſis, qui tribunus militum in Macedoniam miſſus fuerat, precibus exorando in caſtra ſecum duxit, magnam putans ſe adeptum palmam, qui hominem ſeveriſſimum, & ab aliorum moribus alienum, à ſententia dimoviſſet. *Volat. lib.14. cap.2. Anthrop.*

M. Antonius Triumvir cùm Lepido, & Octavio, Actiaca clade fractus, poſteàquam in Ægyptum reverſus eſt, tædio, & pudore præſentium rerum, Timonis vitam ſibi inſtituit, ſolus extra Alexandriam victurus in loco, quem iccirco Timonium vocavit. Sed Cleopatræ illecebræ brevi eum ab ejuſmodi vitæ inſtituto revocarunt. *Sabel. lib.2. c.2. ex Plut. in Antonio.*

Tiberius Cæſar multis proſperis confluentibus, integra ætate, ac valetudine proſpera, ſtatuit repentè ſecedere, ſeque è medio, quàm longiſſimè amovere. Dubium, uxoriſnè Juliæ tædio, quam neque criminari, aut dimittere auderet, neque ultrà perferre poſſet: an ut vitato aſſiduitatis faſtidio, au- B ctoritatem abſentia tueretur, atque etiam augeret, ſi quando indiguiſſet ſui reſpublica. Quidam exiſtimant, adultis jam Auguſti liberis, loco, & quaſi poſſeſſione uſurpati à ſe diù ſecundi gradus, ſpontè ceſſiſſe: exemplo M. Agripæ, qui M. Marcello ad munera publica admoto, Mitylenas abierit: ne aut obſtare, aut obtrectare aliquid præſens videretur. Quam cauſam & ipſe, ſed poſteà, reddidit. Tunc autem bonorum ſatietatem, ac requiem laborum prætendens, commeatum petiit: neque, aut matri ſuppliciter precanti, aut vitrico deſeri ſe etiam in Senatu conquerenti, veniam dedit: quin & pertinacius retinentibus, cibo per quatriduum abſtinuit. Facta tandem abeundi poteſtate, relictis Romæ uxore, & filio, confeſtim Hoſtiam deſcendit: ne verbo quidem cuiquam proſequentium reddito, paucoſque admodum in digreſſu oſculatus. *Suet.*

Arsenius Theodoſii Imp. filiorum præceptor, in ſolitudinem abierat. Cùm Theophilus Alexandriæ Archiepiſcopus quodam nobili Alexandrino cive comitatus, ad eum non procul à Canopo habitantem veniſſet, ſermonem cum eis dixit ſe facturum, ſi modò quicquid præciperet, ſervare vellent: C Sponſionem autem facta. Præcipio, inquit, ut ubicunque Arſenium morari audieritis, illuc ne accedatis. Alia quoque die cùm ab eodem pontifice per nuncium, uti ſibi adeundi copiam concederet, ſollicitaretur: Si venerit, ait, & quod petis concedam, & loco cedam. Itaque Theophilus mutavit aditionis propoſitum, ne ille longiùs diſcedendo mutaret habitaculi locum. A Marco Abbate interrogatus, Cur tantopere commercia hominum fugeret? Cùm Deo, & hominibus ſimul ſe omninò eſſe non poſſe, dixit: Uſque adeò vel modica alicujus interpellatione à divinæ contemplationis dulcedine ſe avocari indignè ferebat. Quamvis enim adhuc in terris eſſet, jure ſuo tamen cum Apoſtolo dicere poterat: Converſatio noſtra in cœlis eſt. *Marul. lib.1. cap.9.*

Paſtor presbyter matrem ad ſe venientem clauſa repulit cella. *Raviſius.*

Paphnutius eremita Bubali cognomen meruit, quod perrarò cæteris in ſolitudine fratribus ſui videndi copiam faceret. *Caſſian. c.1. tertiæ collationis.*

Superavit avorum memoria cæteros mortales ſævitia. Tam- D berlanes Scytharum rex nullus hominum avidius ſitivit cruorem, ſi vera ſunt, quæ de eo feruntur. Rogatus quandoque, quid tantùm ſævitiæ indulgeret, & quòd nulli eſſet exorabilis, nullis precibus flecteretur? torvo aſpectu, atque excandeſcenti ſimilis, reſpondiſſe dicitur: An tu me hominem putas, & non Dei iram potiùs, ad hominum perniciem in terris agentem? *Sab. lib.8. c.3.*

Peregrinorum quorumvis.

Apud Indos niſi triduo hoſpitem divertere non licebat, ne cives longo uſu diſſimiles mores imbuerent, & in alienas leges rituſque tranſirent. *Alex. lib.4. c.10.*

Seres cœtus, & congreſſus fugiunt hominum, ita ut rerum pretia oculis æſtimantes, ſua tradant, aliena non emant: ſcilicet arbitrati, jura civium cum peregrinis communicari non oportere. *Idem.*

Inter cæteros feruntur Gamphaſantes in intimis Libyæ oris, adeò hominum commercia fugere, ut nulli ſe peregrino miſceri ſinant. *Idem.*

Carthaginenſes peregrinos, qui in Sardiniam, aut Herculis columnas adnavigabant, mari demergebant. *Idem.* E

In Ægypto apud Buſirim, & Conoſpolim, hoſpites non admittebantur. *Idem.*

Scythæ adeò omnes peregrinos mores devitarunt, ceu qui inſitam genti illi frugalitatem corrumperent, ut non ob aliam cauſam Anacharſim occiderint, niſi quòd Græco more Cybelis ſacra coleret. *Fulg. lib. 2. c.1.*

Epidaurii, cùm Illyricos mores exoſos haberent, nec illorum commercia vitare poſſent: ut ſe à contagione illorum ſervarent, unum ſeligebant quotannis ætate gravem, qui ſolus ad illos penetraret, cum quo commercium haberent, quem Poletem dixere. *Ariſt. 2. Polit.*

Licurgus non permiſit Spartanos peregrè proficiſci, & vagari, ne externos mores adducerent ſecum, vel ritus malè formatos, & diverſa inſtituta. Sed & advenas nulla de cauſa utili irrepentes in urbem abegit: non ut Thucydides autumat, veritus ne inſtituta ſua effingerent, & aliquem haurirent ad virtutem profectum, quin potiùs ne doctores alicujus noxæ forent. Quippè externa corpora externos neceſſe eſt advehant ſermones: novorum ſermonum nova judicia ſunt comitantia: ex quibus fieri non poteſt, quin multi affectus ſcatu- F riant, & libidines, à conſtituta rep. velut conventu diſſona. Quò magis providendum putavit, ne civitas pernicioſis compleretur moribus, quàm ne corpora aliundè immigrarent infecta. *Plut. in Lycurgo* Hinc Spartani ξενηλάται ſunt dicti. *Alex. lib.4. cap. 10.*

Lacones adoleſcentulum ex eorum numero, qui exercebantur, increpuerunt, quòd viam noſſet, quæ ducit in Pyleam. Adeò ſtudebant ſuos à peregrinationibus, ac rerum exoticarum cognitione ſervare, alienos, nec per occaſionem à patriis inſtitutis degenerarent: præſertim cùm Arcadia, cujus eſt Pyta, eluxu, deliciiſque barbaris eſſet corrupta. *Plut. in Laconicis.*

Gentis certæ.

Maria, & Aaron Æthiopiſſæ odio Moyſen fratrem, qui eam duxerat, acerbè reprehenderunt, *Num. 12.*

Ægyptii turpiſſimum ducunt, cum Hebræis cibum ſumere. Eamque ob cauſam Joſeph cùm ſuos fratres convivio exciperet, ſibi tanquam principi ſeparatim, Ægyptiis convictoribus ſeparatim, ſeparatim quoque fratribus, cibum apponi curavit. *Gen. cap.43.* G

Græcorum odium erga Barbaros etſi naturale videri poteſt, propter linguæ vociſque diverſitatem (ſimilitudo namque amicitiam parit) tamen interceſſerunt quoque variæ bellorum occaſiones, præſertim ob raptum mulierum: quas *Herod. lib.1. recitat.*

Scribit *lib. Hiſtor. 5. Herod.* lege ſancitum fuiſſe apud Argivos, ac Æginetas, ne Atticum quidpiam inferretur ad ſacrificia, neque fictile, ſed ex patriis ollulis in poſterùm omnes ibi biberent. *Athen. lib.11. cap.18.*

M. Cato Cenſorius tanto odio proſequutus eſt Græcos, ut filium Marcum ab eorum literis non quidem inſpiciendis, ſed perdiſcendis avocaverit, *Plut. in Catone, & Plinius l.21. c.21.*

M. Cicero, M. Tullii pater, dicebat, Italos ſimiles eſſe Syrorum venalium, quorum ut quiſque ſciret optimè Græcè, ita eſſe nequiſſimum. Sentiens, unà cum literis Græcorum mores ad Latinos demigrare. Unde quòd M. Tullius fuit iniquior Græcæ nationi, propemodum videri poſſit illi fuiſſe hæreditarium. *Eraſ. lib.6. Apoph.* H

Anglis Britannia potitis, quæ Romanis parebat, Britanni cum rege ſuo Cadovalladro in Britanniam Gallicam exilii cauſa profecti, & paulò pòſt in inſulam reverſi, ad Occidentem ſedes obtinuere. Quos Angli deinceps propter linguæ, & religionis diverſitatem Uvallos dixere. Uval enim Germanorum lingua peregrinum ſignificat. Hi Uvalli regibus Anglorum in poſterùm plurimùm negotii exhibuere, & ſæpè domiti, ſemper tamen rebellavere, paludum, ſylvarum, & montium præſidiis muniti. *Polydoro teſte.*

Ethodius Eugenii Scotorum regis à Maximo Britannorum legato cæſi germanus, exul, à Danorum rege ſuſceptus, ex uxore ab Albione ſequuta filium ſuſcepit Erthum. Genuit is poſt patris interitum ex Rocha Rorichi Dani principis filia, Fergunſium Scotorum regni reſtitutorem. Is Alaricum Gothorum regem ſecutus, Romanæ expugnationi interfuit, graviſſimi Romani nominis odio, quòd majores ſuos univerſa cum Scotorum gente, aut bello occidiſſent, aut paternis ſedibus pulſos peregrino ſolo exulare coegiſſent. *H. Boethius lib. 7.*

Creſcen-

Creſcente nova urbe Straleſunda à Rege Danorum Valdemaro ædificata in Vvandalia, in litore maris oppoſita Rugiæ, multi in eam commigrarunt Saxones, ut & lingua, & moribus jam dudum ſit Saxonica: quod idem in Lubica, atque Roſtockio cernimus eveniſſe. Nam etſi ſolum ſit Vvandalicum, omne tamen nomen Vvandalicum ita habuerunt advenæ Saxones exoſum, ut non paterentur in ſuis collegiis, & ſocietatibus quenquam eſſe, qui non ortus eſſet parentibus Theutonicis, idque ſacramentis extorquebant ab iis, quos ſuſciperent. Magna gentis injuria: quæ patrio ſolo exturbata, in ipſis ſuis nativis ſedibus non ſinitur habitare, & vivere: Tetruſa in mediterranea, ubi propter duriſſima ſervitutem multis dilabentibus, & Saxonum ſe populis immiſcentibus, vix pauci ad agrorum culturam, ſub graviſſimis tributis reſederunt. Titulus autem gentis remanſit apud principes: qui morientes proxima ſucceſſione illum tranſmiſerunt ad duces Magnopolenſes: quibus hodiè paret terra, quæ Vvandaliæ nomen retinet. Remanſere principes antiquæ originis in ditionibus ſuis, manſit nobilitas in paternis prædiis, & poſſeſſionibus: ruſtica plebs, fugiens durum jugum, deſeruit agros ſuos, & abſcondit in externis gentibus originem. Facit hoc contemptus gentis (cujus tamen vetuſta trophæa per totam Europam, & Africam erecta leguntur) ut nemo niſi, quem lingua prodit, ſe fateatur eſſe Vvandalum. *Crantz. lib.7. Vand. cap.10.*

Spitigneus II. Bohemiæ princips, à puero ſtatim hominibus Germanis infeſtiſſimus, quamprimùm ad regnum evectus eſt, edictum propoſuit, ut intra triduum Germani omnes è Bohemia pellerentur. Matrem quoque Jutam Othonis III. Imp. F. in Germaniam, ſalvis rebus ſuis reverti juſſit. Virgo quædam divo Georgio in arce Pragenſi conſecrata nobilibus in Germania parentibus orta, religione ſe tutam exiſtimans, abitionem diſſimulabat. Hic ille atrabile percitus, denunciari protinus virgini juſſit: Niſi ante noctem cœnobio egrederetur, nihil illi flammeum profuturum. Cauſam odii hinc ferunt ortam. Muro cingendam arcem Bretislaus conduxerat, metirique ſe præſente ſpacium illius juſſerat. Clibanus proximè cœnobium funiculi ductum impediebat. Cui cùm parens parci juſſiſſet, Spitigneus etiamnum adoleſcentulus, illum vi demolitus eſt, inquiens: Non ampliùs Germana hæc ſanctimonialis toſtas ex hoc clibano edet placentas. Ad quæ illa commota: Videte, inquit Bohemum ſtrenuum: ſolus fornaculam diruit, quàm vix tres validiſſimi Germani proturbaſſent, digitus ob hoc factum palmario. Cui cùm Juditha mater arriſiſſet, Spitigneus odii fomitem ſemel conceptum pertinaciſſimè fovit. Cæterùm Moravos audiens edictum contra Germanos ægrè ferre, CCC. nobiles officii ſimulatione evocatos in vincula conjecit, armis, equiſque ſpoliatos. *Dubravius lib.8.*

Cùm Fridericus Bohemorum rex Germanos in aula ſua plurimùm foveret (regnum quippè ope Cæſaris obtinuerat) neque Bohemis, indignè ferentibus non tantùm in aula, verùm etiam in curia locum Germanis dari, aures præberet: quamprimum ad comitia diſceſſit Cæſarea, Conradus Znoymæ marchio conſpiratione nobilium principatum invaſit: quem tamen metu Cæſaris reſtituere coactus eſt. *Dubravius lib.12.*

Christina Uladiſlai Poloniæ principis uxor Henrici V. Imper. filia, apud Polonos implacabili odio laboravit, quos ſic faſtidioſè deſpiciebat, ut ne miniſterio quidem ullo in aula ſua Germanis referta dignos duceret, ſed abigendos eos ab illa curaret, quaſi agreſtes, inconcinnoſque, & haris potiùs ob ſordes, uti dicebat, quàm aulis aptiores. *Ibid.*

Cùm Sigismundus Brandenburgenſis marchio uxoris gratia ad Pannonum regnum perveniſſet, patuit quantas vires inſitum à natura inter Bohemos, Pannoniosque odium haberet. Nam cùm Sigiſmundus Stephanum Kontha, Pannonium equitem, atque cum eo alios viginti equites, veluti parum dicto audientes, comprehendi juſſiſſet, cateniſque vincti omnes ad eum deducti eſſent: nullus eorum unquam regem, ne caput quidem ſubmittens, honore dignatus eſt, neque regem ſuum nominare voluit, malueruntque non ipſi modò, verùm ipſorum quoque miniſtri priùs capite mulctari, quàm ſententiam mutare. Inter miniſtros autem Chiotza Stephani alumnus, cùm domini mortem graviter quereretur: & eum, quia adhuc tenera ætate erat, Sigiſmundus, multa promittens, ſolari vellet, offerretque ſe ſuorum numero eum habiturum, is turbato vultu, pleniſque animi indignatione verbis reſpondit, ſe nunquam ſcroſæ Bohemiæ ſubiturum ſervitium. Atque in hac animi obſtinatione interemptus eſt. *Fulgoſ. lib.9. c.3.*

Philoſophorum.

☞ *Conſule Tit. Philoſophorum contemptus. Hic ſolius affectus, illic Habitus vitioſi, cui affectus miniſtrat, ratio habetur.*

In Hiſtoricis commentariis ſcribit Caryſtius, à Lyſimacho Rege Traciæ exactos toto regno philoſophos Alcæum, & Philiſcum Epicureos Romani exigendos cenſuere. Sectæ ejuſdem complices omnes Meſſenii. At univerſim philoſophos Antiochus. *Cælius lib.22. c.21. Antiq. Lect.*

M. Cato Cenſorius philoſophiam in totum, humanitatemque omnem Græcam, & litteraturam, ex ambitione habuit ludibrio, quippè, qui Socratem quoque loquacem diceret, & ſeditioſum fuiſſe, atque eniſum quovis modò tyrannidem occupare, inſtitutis everſis majorum, rapiendo cives, & impellendo ad contrarias legibus opiniones, Socratis ſcholam deridens, ſeneſcere apud eum dicebat auditores, tanquam apud inferos artibus uſuros, & cauſas dicturos. Filium à literis Græcis revocans: voce uſus eſt, quàm pro tanta ætate ferociore, velut vaticinans, & præſagiens, infectos diſciplinis Græcis amiſſuros imperium Romanos. Cæterùm hoc illius vanum apparuit malum omen ipſo tempore, quo ad rerum culmen urbs evaſit, cùm omni ſe Græcæ eruditioni, & inſtitutioni dediſſet. Nec philoſophis Græcis modò erat infeſtus: ſed illos quoque, qui medicinam Romæ exercebant, habebat ſuſpectos: atque audito ſcilicet Hippocratis reſponſo, cùm rex eum mercede oſtenſa multorum talentorum acciret, nunquam daturum ſe operam hoſtibus Græcorum barbaris, commune hoc dicebat medicorum jusjurandum omnium, monebatque filium, ut declinaret omnes. Sibi ſcriptum commentarium eſſe, cujus præceptis ſe familiam ægrotantem curare, & victus rationem præſcribere, neminem unquam cibo abſtinere, alere oleribus, & carne anatis, vel palumbi, vel leporis: levem enim hanc eſſe, & ægris convenientem, niſi quòd illis, qui ea manducaverunt, multa creet inſomnia: hac ſe medicina, & victu valetudinem ſuam tueri, ſuoſque conſervare firmos. Cæterùm in eo quidem haud videtur iram deorum devitaſſe, nam uxorem, & filium amiſit. Ipſe corporis ſalubri conſtitutione, ac robuſta firmiter compactus, in longum duravit. *Plut. in Catone.*

Improborum.

Hippolytus à nutrice Phædræ rogatus, uti ne petitionem novercæ efferendo amicos perderet, ſe ſcilicet, & illam, ingenuè reſpondit:

οὐδεὶς ἄδικός ἐςι μοὶ φίλος.
Nemo injuſtus eſt mihi amicus.

Eurip. in Hippolyto.

Senex pædagogus apud *Eurip. in Jone* ait:

οἴμοι, κακούργους ἄνδρας ὡς ἀεὶ στυγῶ,
οἳ συντιθέντες τἄδικ', εἶτα μηχανὰς
κοσμοῦσι. φαῦλον χρηστὸν ἀναλαβεῖν φίλον
θέλοιμι μᾶλλον, ἢ κακὸν σοφώτερον.

Hei mihi, verſipelles ut homines ſemper odi, qui componentes injuſta, deindè fraudes ſuas ornant. Inertem probum accipere amicum cuperem magis, quàm malum ſapientiorem.

Regum, Imperatorum.

Urbis Rom. parentum Romulum Senatus in ampliſſimo dignitatis gradu ab eo collocatus in curia laceravit, nec duxit nefas, ei vitam adimere, qui æternum Romano imperio ſpiritum ingenuerat. Rude nimirum illud, & ferox ſeculum, quod conditoris ſui cruore fœdè maculatum, ne ſumma quidem poſteritatis diſſimulare pietas poteſt. *Val. lib.5. c.3.*

Antipartum Herodis F. propter cædem duorum fratrum clandeſtinis ſuis accuſationibus procuratam, populus omnis Judæorum tanto proſecutus eſt odio, ut Roma redeunti, nec obviàm progreſſus ſit, nec ſalutarit, ejuſque accuſationem de cogitato veneficio contrà patrem ſponte ita aggravarit, ut in vinculis tandem interfectus ſit. *Joſephus lib.17. cap. 6. & 8. Antiq.*

Fuit Caligulæ imperatoris nomen, cætera tyrannus fuit immanis, cruento exitu dignus, quem demùm ſortitus eſt. Sed nec unius ſanguis explere potuit odium Civium. Cæſania ejus uxor cum filia admodum parvula multitudinis incurſu trucidata eſt, ne quid ſupereſſet, quod tyranni recordatione civitatis oculos violaret. *Sab. lib.8. cap.9.*

Eadem Quiritium Civitas omnes Domitiani imagines, & titulos è publico ſuſtulit, decreta per illum antiquavit: ut diræ illius tyrannidis verius, quàm principatus, memoria cum ipſo crudeliter interfecto ſepeliretur. *Sab. lib.8. cap.9.*

Contra Maximinum crudeliſſimum variæ conſpirationes ſunt factæ. Magnus primùm vir conſularis, ſoluto ponte, cùm contra Germanos proficiſceretur, imperium arripere conatus eſt. Titus Maurorum Tribunus à militibus Oſroenis invitus Imp. creatus. Verùm Magnum Maximinus oppreſſit, Titum milites interemerunt. Suſcepta inde Sarmatica expeditione, cùm odium ſuorum quotidiè magis veniret, facta defectione Militum in Africa, Gordianus ſenex proconſul octogenarius Imperator à militibus factus eſt unà cum filio, apud oppidum Thyſtrum. Quod mirum in modum Senatum oblectavit, qui ambos Auguſtos acclamarunt, interfectis omnibus Maximi delatoribus, atque amicis, unà cum præfecto urbis Sabino, appellatiſque hoſtibus Maximino, ac filio ejus, ac miſſis literis ad ſingulas provincias, & civitates, ut communi ſaluti, libertatique ſubvenirent publico S.C. & acclamationibus. Sed interim Capellianus, qui Mauris præfuit, contra Gordianum profectus, ut ſibi uſurparet imperium, occiſo juniore Gordiano, Gordianum ſenem ad eam deſperationem redegit, ut laqueo finiret vitam. Quod tanto mœrore Senatum affecit, ut mox duos iterùm Imperatores, Maximum Puppienum, & Clodium Balbinum, contra Maximinum deligerent, addito parvulo nepotè Gordiani, qui pariter Cæſar eſt dictus. Maximus contra Maximinum profectus, Balbinus Romæ relictus. Maximinus perpetuum in ſe Senatus odium intelligens, Italiam verſùs contrà Maximum profectus, vehementius deſævit. Sed cùm in obſidione Aquilejæ exercitus fame laboraret, ducesque aliquos ſuos trucidaret, in odium exercitus veniens, unà cum filio dormiens à militibus eſt trucidatus in caſtris: capita haſtis ſuffixa, Aquilejenſibus ſunt oſtenſa, & poſteà miſſa Romam. Unde ingens provincialium lætitia orta eſt. Romæ viſo Maximini capite, Balbinus hecatomben fecit, juſſitque per omnes civitates pari ſacrificio ſupplicari, Maximini nomen eraſum. Capita Maximinorum in campo Martio inſultante populo, exuſta ſunt, cadavera miſſa in profluentem.

Constantinus VI. Imp. qui & Conſtans, omnibus ſuis exoſus, Syracuſis à ſuis in balneo eſt occiſus. *Sigebertus in Chronicis.*

Selimo Turcorum tyranno, qui, interfecto Soldano, Ægypto, & Syria potitus erat, Solymannus filius ſucceſſit, bella à Partis auſpicans, ut illorum etiam imperium ſibi adjungeret: Sed amiſſis plus centum millibus ſuorum, cum octoginta ſolùm equitibus Conſtantinopolim rediit, tanto ex hac clade Turcarum odio ſibi conflato, ut deiiciendum protinus ab imperio tanquam infauſtum, malèque ominatum cenſerent. At ille ad preces, & promiſſa omninò ſe verſus, quòd totam Miſiam, Bulgariam, Boſnam, cùm ipſo Bellegrado reducturus brevi in poteſtatem Turcarum eſſet: gratiam tandem recuperavit. Audita hæc Turcæ promiſſa Budæ fuere, ſed pauci illis animum intenderunt, nihil de futuro ſolliciti, quaſi uno prælio tota vis Turcæ interiiſſet. *Dubravius lib.33.*

Ducum, Conſulum.

☞ *Conſule Tit. Perfidiæ militum erga Duces.*

Romanæ legiones ob Agrariam legem à patribus impeditam tanto odio in conſules exarſere, ut in Hetruria Vejentes, cùm poſſent, vincere noluerint, M. Fabio coſ. At à Volſcis, in Apii Claudii coſ. odium, ſe etiam turpiter vinci ſunt paſſi. *Sab. lib.1. & 3. Enn.3.*

Tyrannorum.

☞ *Conſule Tit. Tyrannicidarum.*

Ægyptii Typhonem tyrannum, Oſiridis interfectorem, ab Oro cæſum, ſuggillant in nonnullis feſtis: in quibus homines rufos ludibrio habent, aſinum autem præcipitant, ut Coptitæ: quòd fuerit rufus Typhon, ac colore aſinino. Lycopolitæ item tubis, quòd aſinino clangorem aſſimilem edant, prorſus non utuntur. Quin etiam boves, qui rufi ſunt, ſacrant, uſque adeò exquiſitè in eo religioſi, ut ſi vel pilum habeat nigrum, vel album unum, non litari arbitrentur eo. Quippè hoſtiam non eſſe diis gratam, immò diverſum, quæcunque hominum animas ſceleſtorum, & improborum in alia transfiguratorum corpore aſſumpſerunt. Idcircò execrabantur in caput victimæ, præciſumque in amnem olim proiiciebant, nunc vendunt peregrinis, Bovem autem, qui immolandus erat, certi ſacerdotes, qui dicti fuerunt ſphragiſtæ, ſignabant. Sigillo inſculptus erat (ut Caſtor eſt auctor) homo genu innixus, qui retrorſum circumactis manibus tenet imminentem jugulo gladium, *Plut. de Iſide.*

Pygmalionis tyranni odio Tyriorum multi ſolum verterunt, ſi poetæ teſtimonium recipitur in hac exemplari relatione. Nam quia & ipſa ſibi nomen hiſtoriæ vindicat, cuſtos eſt fidei tenaciſſima. *Sab. lib.8. cap.9.*

Callias Phænippi F. (qui fuit pater Hipponici) Athenienſis, cùm alia omnia in Piſiſtratum tyrannum immitiſſimè commentus eſt, tum verò ſolus Athenienſium omnium illius Athenis ejecti, cùm publicè ſub præcone venderentur, bona emere auſus eſt. *Herod. lib.6.*

Alcmæonidæ, Athenienſis familia, tyrannos eximiè oderunt, & Pythiam perſuaſerunt, ut Cleomenem regem Spartanorum ad liberandas Athenas induceret. Id quod, & factum eſt, atque Piſiſtrati filii ejecti, Hippias ſcilicet, & Hipparchus. *Idem.*

Odit Aristides Locrenſis inſigniter tyranni nomen, cujus filiam cùm Dionyſius major ſibi uxorem depoſceret: Mallem, inquit ille, filiam malè perditam videre, quam tyranni matrimonio locatam. Dionyſii uxorem, & filias Locrenſes in poteſtatem redactas, ad ſtuprum, & libidinem multitudini objecere, in tyranni invidiam: inde ad libidinis ſatietatem vexatas mediis merſerunt fluctibus adhuc vivas. *Sab. lib. 8. cap.9.*

Thophraſtus in libris de Regno, ſcribit, Themiſtoclem cùm ad Olympia certatum Hiero miſiſſet, & tabernaculum erexiſſet ſplendidè adornatum, pro ſententia apud Græcos dixiſſe, ut tentorium tyranni diriperent, & arcerent à certamine equos ejus. *Plut. in Themiſtocle.*

Timoleon Corinthius, Dionyſii principatu everſo, everterit & arcem, eo nomine, quia tyrannorum fuiſſet ſedes. Cæterùm in eo majus ſuum erga tyrannos odium teſtatus eſt, quòd & ſepulchra, cæteraque ornamenta diruit. *Sabell. lib.8. cap.9.*

Quantum tyrannos oderint Romani, ex eo poteſt intelligi, quòd regium nomen ex urbe ſuſtulere tyrannidis ſuſpicione: atque ita ſublatum voluit populus, ut de libertate etiam benemeritis, fraudi fuerit ferre Tarquinii nomen. Sp. Melio, & Manlio Capitolino, non nomen, ſed ſuſpecta largitio fuit exitio in eadem civitate. Sed quid tyranno feciſſent ii, qui viam, quæ ad tyrannidem ducere viſa eſt, ſuis obſeptam civibus, atrocibus munire ſuppliciis? *Idem.*

Ravennates Lemigium exarchum ob tyrannicos, & fœdos mores, interfecere, ejus uxorem, & pellices omnibus proſtituere. Eadem ultio attigit exarchanos judices, quibus publicitùs cæſi, omnis eorum familia ludibrio fuit infenſæ multitudini, quæ ſemper, aut nimiùm odit, aut nimiùm amat. *Idem.*

Petrus Candianus Venetorum dux, qui legitimum magiſtratum in tyrannidem vertit, ſibi, & liberis ſuperba regiminis forma exitium peperit. Populus ſuæ libertatis memor domum ejus injecta flamma incendit, tyrannum inde deturbat, deturbatum trucidat: filium jugulat in nutricis gremio, amborum corpora ad macellum proiicit canibus lanianda. Adeò juxta tyrannos, & qui ex his ſunt, libertatis ſtudio infenſè odit incondita multitudo. *Idem.*

Tyrannorum nullus fuit unquam inviſior Ecelino, qui crudelitate, & ſævitia cum Phalaride certavit. Puberes ab eo mutilati, pueri conciſi, virgines vitiatæ, matronis mammæ ademptæ, prægnantium uteri execti, partuſque flammis deditus. Quæ ſcelerum diritas, eo extincto, domeſticis, & neceſſariis Tauriſii, repræſentata. Sex filii Alberti fratris ſubitò populi Tarviſini incurſu interfecti ſunt: tyranni uxor, & filiæ vivæ in ignem conjectæ. *Idem.*

Scelus Fabrianenſis populi ingens fuit, cùm in principes ſuos, Clavella gente ortos, conſpiravit. In templo enim cædem peragere conjurati ſtatuerunt, hora patrandi facinoris ſumpta, cùm ſacerdos, qui conjurationis conſcius erat, ſacra perageret, & decantando Symbolo ad partem eam perveniſſet, quæ incarnationis mentionem facit. Sceleſtè enim voluit, ut verbum, quo humanæ ſalutis ortus, ac memoria renovatur, proditionis, atque alterius peragendæ mortis ſignum haberetur. *Fulg. lib.9. cap.1.*

Subditorum.

A ☞ *Conſule Tit. Tyrannorum, item Tit. Crudelitatis, & perfidiæ erga ſubditos.*

Herodis odium erga ſubditos in hoc conſpicitur, quod jam moriturus præſtantiſſimos Judæorum necari præcepit, ne careret extremo honore luctus, qui debetur regibus: utpotè qui probè Judæorum mentem noviſſet, qui magis in ipſius morte gaviſuri, quàm lucturi eſſent, ſiquidem vel à vivente etiam tum non abſtinuiſſent contumelias. *Joſeph. lib. 17. c. 8. & ſeq.*

Militum.

Cato major ajebat, odiſſe militem ſe, in ambulando, qui manus, & in præliando moveat pedes, ſtertat altiùs, quàm fremat, *Plut. in Apopht.*

Civium.

☞ *Vide tit. Seditionum.*

B Alcmæonidæ, & Calliæ Athenienſium familia exitiali odio ſe invicem proſequebantur, quamvis utraque tyrannidem Pæſiſtratidarum exoſa eſſet. *Herod. lib. 6.*

Aristides Lyſimachi F. Chiſthenis neceſſarius fuit ejus, qui poſt exactos tyrannos Pyſiſtratidas rempub. conſtituit. Hic cæteris, qui rempubl. tractaverunt longè præferens Lycurgum Lacedæmonium ſtatum reip. amplexus eſt, in quo pollerent optimates. Ubi adverſarium habuit Themiſtoclem Necolis, qui populi partes tuebatur. Hos quidam ferunt à prima ætate, cùm unà educarentur, omni in re, & ſermone, vel ſerio, vel ludicro diſſenſiſſe inter ſe, atque ingenia eorum ſtatim ex illa contentione detecta: promptum hoc, & projectum, vafrumque, quod citò, & facilè quovis ferretur: alterum ſtabili fixum indole eſſe, & juſtitiæ inhærens, mendacium verò, vel levitatem, vel fraudem ne ludo quidem ulla ratione admittens. Ariſtus Chius ex amatorio initio natam eo refert exarſiſſe horum ſim: ltatem, Steſilaum enim, qui Cea oriundus, & figura, & ſpecie corporis longè omnibus pueris præſtabat, cùm ambo amarent, non mediocri percitos affectu fuiſſe; neque unà cum deflоreſcente forma pueri abjeciſſe, æmulationem, ſed quaſi in illa expertos lacertos ſuos, illicò ad rempub. C prorupiſſe flagrantes, & diffidentes. Multa movente Themiſtocle periculosè, & adversùs omnes actiones ſuas cooriente, atque interpellante ipſum, compulſus ſcilicet ipſe quoque eſt partim ulciſcendi gratia, partim Themiſtoclis reprimendæ potentiæ, ſtudio gliſcentis populari, factis ejus reluctari: ſatius eſſe cenſens commoda populi aliqua negligere, quàm illum ubique invaleſcere victorem. Denique cùm Themiſtocles aliquando quidam rectà, atque ordine ageret, adverſatus ei eſt, quo dejecto, non continuit ſe, ſed jactavit digrediens ex concione: Niſi & Thamiſtoclem, & ſe malè perderent, non poſſe rempubl. Athenienſium conſiſtere. Alio tempore cùm rogationem ad populum tuliſſet; atque ea impugnaretur, erat eam poſt concertationem obtenturus; jamque miſſuro in ſuffragia populum archonte, ex ipſis habitis orationibus animadverſo vitio abjecit rogationem. Identidem etiam ferebat per alios rogationes, ne ſtudio ſecum contendendi obſiſteret Themiſtocles bono publico. *Plut. in Ariſtide.*

Legimus, Neoclem, & Demopolim Themiſtoclis filios quandoque incognitos veniſſe Athenas, adortoſque in certamine epitaphio vim ſuam oſtentare, cùm victores apparuiſD ſent, nec quid forent, ſatis noſcitaretur, corollis eſſe inſignitos: & Neoclem quidem Dolichum viciſſe, Demopolim autem ſtadium. Poſt certamen verò cognitos, non tantùm à paternis inimicis eſſe lapidibus adobrutos, cùm Athenienſium memoriam refricuiſſent ſuper legibus, quæ adverſum exules ſancitæ fuerant. *Cælius libro 14. capite 12. Antiq. Lect.* Plato tamen in Menone Cleophanti quoque tertii filii mentionem facit.

Cùm populus Rom. à Senatu videret Appium Claudium juniorem conſulem cum C. Quintio Capitolino creati, ingenti odio commotus, quo Appiam gentem proſequebatur, ac ſimul indignatus, comitio exceſſit, ne ad honores evehi quenquam ex eâ gente conſpiceret. *Fulg. lib. 9. cap. 3.*

P. Diacon. Longob. lib. 4. cap. 11. ſcribit, tempore Phocæ Imperatoris Praſinos, & Venetos aurigarios per Orientem, & Ægyptum civile bellum feciſſe, ac ſeſe mutua cæde proſtraviſſe.

Guelforum, & Gibellinorum factiones in Germania ortæ, relicto natali ſolo in Italiam provectæ, miſerè omnes urbes, oppida, pagos pervagatæ ſunt. De earum ortu non conſentiunt auctores. Volunt quidam I. duabus illuſtribus E principum Germanorum familiis, Henricorum ex Vveyblingen, & Vvelforum ex Altorf, pagis Sueviæ, lites inter ſe exercentibus, originem cœpiſſe. Alii verò (& inter hos *Æmil. lib. 7.*) ſub Corrado III. Imp. Friderici Sueviæ ducis F. Duce Franconiæ, qui circa annum Domini MCXXXVIII. imperium iniit, ex bello civili initium ſumpſiſſe. Nam cùm Vvelfo, Henrico Superbo fratre, Saxoniæ, & Bavariæ duce, à Cæſare ob affectatum regnum proſcripto, ducatibus ſpoliato, & dum eos recipere conatur mœrore animi extincto, Bavariæ ducatum hæreditario jure ſibi vindicat: cum Corrado Imp. Vinſpergum oppidum Sueviæ obſidente prælio congreſſus, & fugatus eſt. Vvelfo copias auxiliares habebat plurimas ex Sicilia à Rogerio rege, à Pontifice Innocentio ex Italia, id eſt, ſedulò conantibus, ut bellis implicatus civilibus Conradus, Italiam adire non poſſet, neque Calabriam, & Siciliam Normannis extorquere. Itaque teſſeræ loco auxiliares copiæ Vvelfonis: hìc Vvelf, clamabant, ex Ducis ſui nomine: Imperatoris verò, Hìc Vvayblig, à nomine pagi Sueviæ, in quo nutritus ferebatur Corradus Impera- F tor. Itali ergo factioſa hæc nomina (condignum ſanè impiæ ſuæ militiæ contra optimum, ac legitimum Imperatorem pro tyranno Guelfone ſumptæ ſtipendium) ex Germania domum reportarunt: ut quamvis per Friderici Barbaroſſæ electionem peſtes hæ in Germania defierint, in Italia tamen pertinaci ſtultitia permanſerint, & ſub Friderico II. Piſis agente, & Alexandrum III. armis perſequente, mirificè invaluerint. Qui Pontifici favebant, Guelfi, qui Imperatori Gibellini dicebantur. Apud Piſtorienſes primùm ea nominum factioſorum diſtinctione frequentata, ſerpſit hoc factionum ſtudium adeò latè, ut nulla civitas, nullum oppidum, nullus populus ea labe pernicioſiſſima manſerit intactus. Urbs enim in urbem, provincia in provinciam, populi pars in alteram, nulla impellente alia, quam harum partium cauſa, bella geſſere abinde uſque ad noſtra tempora. Nec modò diviſa ſunt inſignia in præliis deferenda: ſed colores, terræ fructus, veſtium, habitus, ipſe inceſſus, digitorum concrepitus, & oris hiatus, ſuarum habent partium ſignificationem. *Naucl. gener. 38. & 42. & Hungerus in Cuſpin. Cæſ.*

Bartholomæus Alvianus Senenſis, anno 1497. Todium ab G Guelfis introductus, omnes Gibellinorum domos diripuit, tres, & quinquaginta ejus factionis principes interfecit. Quod exemplum ſequutus Antonellus Sabellus, Ternium, & Gateſchii Columniorum ope Viterbium ingreſſi, eandem in utroque loco, & circumjecta regione Guelfis cladem intulerunt. *Guicciard. lib. 3.*

Carolus VIII. rex Galliæ poſt ſubactum Neapolitanum regnum domum reverſurus, cùm Senas veniſſet, ita perturbatum civitatis ſtatum invenit, ut cives in quatuor diviſi factiones, inſano livore mutuo inducti, à rege præfectum peterent, qui Gallico fretus præſidio inter ordines factionum æquo jure libertatis nomen tueretur. Ambiebat ad id Ligninius propinquus regis, ita ut cohortem Gallorum facilè impetraret, quæ duce Gualterio Tinctavilla urbi præeſſet. Sed feſtinante in Galliam rege, non multò pòſt depulſis foro, atque urbe Gallis, civitas ad veterem Pandulfi Petrucii dominatum rediit, *Jovius lib. 2.*

Populus Romanus in partes diſciſſus, Urſinæ aut Columniæ factionis ſtudia ſequi ſolet, Columniis Sabelli vetuſtate familiæ, & frequenti ſobole militarium juvenum potentes: Urſinis verò Comites cognomento Grapellii, cla- H ritate, atque opibus fermè pares, adhærent. Horum opibus Romani Pontifices, dum per varias temporum, ac bellorum occaſiones licuit, ſemper infenſi infeſtique fuere; nihilque unquam antiquiùs habuerunt, quàm alterutram factionem fovere, atque alere eorum controverſias: ut cùm attritæ mutuis cædibus, atque jacturis amborum vires forent, ipſi poſteà deletis reliquiis, oppidis eorum Urbi proximis potirentur. Romani etenim ſive priſtini decoris, ac antiquæ libertatis memores, ſive ut ſunt natura turbidi, atque feroces, ſacerdotum imperia, quòd plerique eorum parum moderatè, avarèque imperitent, æquo animo ferre non poſſunt. Propterea cùm injuriis, aut contumeliis exagitati fuerint, quò minus omni maleficio deſæviant, neque vi, neque legibus, neque pontificis auctoritate deterrentur. Cepere aliquando, atque interemere. Bonifac. VIII. quin, & Eugenium IV. ſede, atque Urbe expulere: alios palàm oppugnavere armis, alios conjuratione facta, ac obſeſſis itineribus in

maxima

maxima vitæ, atque amittendæ dignitatis pericula conjecere.
A *Jovius lib. 1. hiſt.*

Sub Friderico II. Mediolanenſes in duas abiere factiones: Nobiles Vicecomitibus, populus Turrianis favebat. At pulſis Vicecomitibus, Turriani rerum potiti ſunt, quoad Otho Vicecomes Archiepiſcopus Mediolanenſis exulum manu ſtipatus, victis ſepties Turrianis, eorumque principe Napo ad vicum Decimum capto, ſibi ſuiſque reditum in patriam poſteris imperium peperit. *Jovius in vita Othonis.*

Circa annum Chriſti 1494. viguere in Liguria duæ factiones, Adurnia, atque Fregoſia; ambæ populares, & Gibellini nominis: ipſa enim civitas in nobiles, & populares familias, plebemque tripartito dividitur. Nobilitas duplici factionum morbo laborabat: nam patritii, cùm ex profeſſo partim Guelfi eſſent, partim Gibellini, etiam Adurninum, ut Fregoſium nomen, pertinaci quadam inſania ſequebantur: accidebatque ſæpiùs, ut Guelfi Gibellinos, quos maximè odio habere conſueviſſent, novarum partium libidine cæci, acerrimis ſtudiis juvarent: idque propterea fiebat, quòd nobiles lege quadam antiquitùs lata, ſupremum in civitate magiſtratum, qui ad ſolos Gibellinos pertineret, capere non licebat: plebs quoque, quæ mirum in modum incertis rumoribus ſervit, incre- B dibili mobilitate tumultum excitare, ad arma diſcurrere, atque eodem nonnunquam die commutatis voluntatibus, modò his, modò illis favere conſueverat. Quibus de cauſis effectum eſt, ut cùm diſcordia atque inteſtinis confecti malis ſeſe regere non poſſent, diſſociatis animis, attenuatiſque opibus, facilè veram libertatem amiſerint. *Jovius lib. 1. Hiſt.*

Virorum.

☞ *Conſule Tit. Virginitatis ſtudium. Cui accidit, ut inſidiantes viros oderit.*

Amazones, item Boemæ Dievizæ, item Alvilda Sivardi Gothorum Regis F. viros omnes oderant. ☞ *Vide Tit. Mulieres fortes.*

Ulasta Amazonum Boemicarum Dux, tanto virorum odio agebatur, ut pueris, & adoleſcentibus dextros pollices amputaret, dextroſque oculos erueret, ne per ætatem, vel gladios tractare, vel ſagittam collineare, poſſent. Eadem matronis, quotquot ad ſe in arcem Devinam confugerant, auctor fuit una nocte maritos è medio tollendi. *Dubravius lib. 2.*

Mulierum.

Orpheus amiſſa Eurydice uxore, omnes mulieres odio ha- C buiſſe, & tandem à Thraciis matronis, dum Orgia celebrant, diſcerptus fuiſſe dicitur.

Hyppolitus apud Euripidem ſic de ſeipſo, inquit:

—— μισῶν δ' ἔ ποτ' ἐμπλησθήσομαι
γυναῖκας, ἐδ' εἰ φησί τι μ' ἀεὶ λέγειν.
ἀεὶ γὰρ οὖν πώς εἰσι κἀκεῖναι κακαί.
ἢ νῦν τις αὐτὰς σωφρονεῖν διδαξάτω,
ἢ κἄμ' ἐάτω ταῖς δ' ἐπεμβαίνειν ἀεί.

Odio habens nunquam implebor mulieres, neque ſi dicat quis me eadem ſemper dicere. Semper enim illæ ſunt malæ. Aut nunc quiſpiam eas bonas eſſe doceat: aut me ſinat illas uſque inceſſere.

Idem *apud Senecam* in hæc verba prorumpit:

Deteſtor omnes, horreo, fugio, execror,
Sit ratio, ſit natura, ſit durus furor.
Odiſſe placuit. Ignibus junges aquas,
Et amica ratibus antè promittet vada
Incerta Syrtis: antè ab extremo ſinu
Heſperiæ Thetys lucidum attollet diem:
D *Et ora damis blanda præbebunt lupi,*
Quàm victus animum fœminæ mitem geram

Jaſon *apud Euripidem in Medea* hæc profert:

—— χρῆν γὰρ ἄλλοθεν πόθεν βροτὸς.
παῖδας τεκνοῦσθαι. θῆλυ δ' ἐκ εἶναι γένος.
ὅτω δ' ἂν ἐκ ἦν ἐδὲν ἀνθρώποις κακόν.

Oportebat aliunde fortè homines ſobolem parere, femininum autem non eſſe genus: ſic ſanè non eſſet ullum hominibus malum.

Ajunt, Melaniorum quendam, odio mulierum, in ſolitudinem demigraſſe, perque avia montium, & nemorum, cane, quo uno convictore utebatur, feras inſectari ſolitum, nec unquam domum revocari potuiſſe. Hinc Melanione caſtior dicebatur, qui magnoperè à mulierum congreſſibus abhorreret. Meminit adagii *Ariſtoph. in Lyſiſtrata. Eraſmus in Adagiis.*

Vicinorum.

E Uladislaus Locticus Polonorum Rex Cruciferis memorabili ſtrage affectis, cæſorum numerum recognoſcens, conſpicatus eſt Florianum Sſiarum, hominem equeſtris ordinis, multis vulneribus debilitatum, reſupinato corpore jacentem, & illa per vulnus effluentia manibus cohibentem: converſuſque ad comites: Quàm magnus hic eſt, inquit, hujus viri cruciatus. Reſpondit ille? Majorem eſſe ejus, qui in eodem pago malum vicinum habeat, qualem ipſe expertus ſit. Tum Rex: Age, inquit, liberabo te iſto cruciatu, ſi convalueris. Poſteà pagum totum illi donavit, excuſſo vicino improbo, ut ſcribit Mechovius. *Cromerus lib. 11.*

Diſcipulorum.

☞ *Conſule Titulorum, Perfidiæ erga diſcipulos.*

Præceptorum.

☞ *Ex Tit. Diſcipulorum perfidiæ erga præceptores.*

Inter Ariſtotelem, & Platonem haud conveniſſe ſatis, ex ingenii monumentis palàm fit. Odium, quod ex æmulatione avidiſſimum eſt, litterarum, & gloriæ ratione exortum poſſet videri, ſed à Græcis proditum ſecus animadverto: qui Platoni offenſiorem factum Ariſtotelem volunt, quòd ejus vitæ inſtituto oblectaretur minus. Quippè curioſius circumveſtiebatur Ariſtoteles, calceabaturque, quin & comam contondebat item delicatius. Iſtiuſmodi verò à Platonis aberant gravitate plurimùm, qui quantus quantus nil niſi ſapientia prorſum fuit. F Annulis digiti niteſcebat onuſti, & in hoc ſibi placebat nimium. Inerat & in facie μωκία quædam, id eſt, irridendi ſtudium, & importunior nec aberat loquacitas, quæ ipſa & mores coarguebat. Proinde cùm ea intueretur Plato, rarius hominem admittebat. Pluris autem longè Zenocratem faciebat, & Speuſippum, cęteroſque, cum quibus pręter alia libenter, ac ſępè confabulabatur, de philoſophicis ſemper arcanis promens quippiam, quò illi abirent nunquam non doctiores. *Ex Æl. Cæl. lib. 17. cap. 34. A. L.*

Amicorum, ſociorum.

☞ *Conſule Locum, Ex amicis facti inimici.*

Hoſtium, Ἔχθρα Inimicitia propriè.

Amalechitis hoſtibus ne ignoſcerent Iſraelitæ, jubet Dominus per Moyſen, inquiens: Memento quæ fecerit tibi Amelec in via, quando egrediebaris, de Ægypto: quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui laſſi reſidebant, ceciderit, quando tu eras fame, & labore confectus; & non timuerit Deum. Cùm ergo Dominus Deus tuus dederit tibi re- G quiem, & ſubjecerit cunctas per circuitum nationes in Terra, quam tibi pollicitus eſt, delebis nomen ejus ſub cœlo. Vide, ne obliviſcaris. *Deut. 25.*

Aman Amalechita hoſtis Judæorum natura (quia gens illius à Judæis jam olim exciſa fuerat) cùm apud Regem Artaxerxem plurimùm poſſet, curavit uti Judæorum gens, tanquam rebellis, & impia, 13. die duodecimi menſis, publico edicto propoſito, interfici juberetur. Verùm Dominus jejunia, & ſupplicationes Judæorum miſertus, malum conſilium in ipſum Aman convertit. *Eſther. 3. & ſeq. & Joſephus lib. 11. cap. 5. Antiq.*

Achilles & templum habet, & tumulum juxta Sigæum: Patroclus autem, & Antilochus tumulos. Quibus omnibus & Ajaci Ilienſes ſacrificant. Herculem verò non colunt, cauſam afferentes, quòd is urbem fuerit depopulatus. At ille (inquiet aliquis) ita eam depopulatus eſt, ut poſteris depopulaturis labefactatam quidem relinqueret, civitatem tamen. H Sed ii, quibus ipſi ſacrificant, & quos ut deos colunt, ex toto eam delevere. Niſi hoc cauſæ dicant eſſe, quòd hi juſtum bellum intulerunt, Hercules verò injuſtum, Laomedontis equorum gratia. Cui rei rurſum fabula occurrit: non enim equorum gratia, ſed mercedis pro Heſione à ceto liberata. *Strabo lib. 13.*

Atrox odium, & irreconciliabilis ſimultas, atque ut Plutarchi dicam verbis, ἄσπονδος πόλεμος erat in Theſſalos, & Phocenſes: quòd hi primores illorum in ſuis urbibus ad unum omnes eodem die trucidaſſent: illi viciſſim illorum obſides ducentos quinquaginta in crucem ſuſtuliſſent. Tandem Theſſali contractis omnibus copiis, per Locrenſes irruperunt, edicto promulgato, ne cuiquam provectioris ætatis parceretur, pueri cùm mulieribus in ſervitutem abducerentur. Daiphantus itaque, qui fuit unus è tribus, quibus Phocenſium res erat commiſſa, ſuaſit, uti viri quidem Theſſalis obviàm irent cum illis conflicturi: cæterùm mulieres unà cum liberis ex univerſa Phocide congregatas, in

uno